350
32

[illegible]

Indice



CAPITULUM GENERALE

LONGÈ OMNIUM
hactenus celebratorum per
totum Ordinem S.P.N.
Franciſci


UNICUM, ET CELEBERRIMUM

ROMÆ HABITUM IN TEMPLO S. MARIÆ de Ara-Cœli die 15. Maji anni 1723.

SANCTISSIMO DOMINO NOSTRO PAPA

INNOCENTIO
TERCIODECIMO

PRÆSENTE IN EO, AC PRÆSIDENTE.



SUPERIORUM FACULTATE.



PROOEMIUM.



ABULAS Capitulares vobis de more publicaturi, operæ pretium duximus, eas à gestis ejusdem Capituli exordiri, in quibus, vt Summus Pontifex beneficentiæ in nos suæ reliquum nihil fecit, ità vicissìm nihil prætermissum debemus pati ad gratiam habendam Ipsi, & ad nostram Posteritatem in gratitudinem, & obsequium ejus monumentis perpetuis excitandam. Dum ergo ab anno 1700. encyclicis literis semel, & iterum, prò cogendo nostro Generali Capitulo nequicquam datis pejora in dies portenderentur, nutantibus rebus nostris, Innocentius XIII. in firmissimum columen sese ipsis offerre dignatus est, & Seraphico Patriarchæ vicem clementissimè referens inclinatam Ecclesiam sustentanti, Apostolicis suis literis ad 26. Martij anni 1722. Motu proprio expeditis prò insequenti anno convocavit ad Urbem idem Generale Capitulum coram se, quòd & felicitèr coactum fuit & demum feliciùs absolutum.

Hoc igitur anno 1723. Diffinitoribus Generalibus in Festo Ascensionis ingressis Urbem, cæterisque Electoribus, ex peculiari Summi Pontificis dispensatione, in eandem feria sexta insequenti admissis, dum plura de more discuterentur ad Ordinem pertinentia, & ad majestatem Comitiorum coram Sanctissimo habendorum nonnulla digererentur, accessit ad hoc Aracœlitanum Cœnobium sub vesperam octavæ diei ad Ascensione Illustrissimus, & Reverendissimus Dominus D. Prosper Mareschi Summi Pontificis Auditor, ad syndicationem Vo-

torum per Sanctitatem suam specialitèr delegatus, qui cordatè adeò ac religiosè istam exhausit sollicitudinem, vt vel Pontificio nomine disjecerit famam quandam perperàm evulgatam, facturamque negotium libertati Electorum, quæ plenissima fuit, si ora, & mentes diutiùs occupasset: in hoc idem studium & feria subsequens collata fuit, in qua & Pontificijs literis cum omnibus, qui vacare debuerant, dispensatum, & elegans præparatio Templi pro celebrandis Comitijs accommodè absoluta.

Templum ergo ita ornatum erat, vt quæ attexitur ex oloserycis damascenis, aulæis belgicis, alijsque id genus peristromatis, & ijs quidem scitè inflexis, & collocatis, nihil ad venustatem magnificam desiderare esset. Consurgebat Pontificius Thronus, quà ex solea elevatiori mediam Navim intersecante per quosdam gradus in subjectum Gremium Templi descensus est, totique spatio interjacenti vsque ad majores valvas, latèque intra perystilia lateralia posito, majestate eminenti dominabatur, ipsique ex adverso imminens valvis ipsis, per obtenta oloseryca probè dissimulatis, insignis Tela pingens Congregatos Apostolos, igneumque descensum ad illos Divini Spiritus præpendebat. Non multùm distans à Throni gradibus, & è regione ipsius aderat Mensa ità evectior consuetis, vt ab vno latere alij peduli subsellijs impositis assidentes, & ab altero stantes alij æquè commodè ipsam attingerent ad scribendum. Caput ejus duo labriola occupabant, quorum alteri Superiorum Generalium sigilla inerant, alteri duo Catalogi omnium præsentium Electorum, post quæ præstò erat, & aliud labrum majus, par nimirum acervo omnium Schedularum: partem autem inferiorem Capsula tenebat hinc, desuper hiatu oblongo patens, vt Schedulæ in ipsam demitti possent, inde verò apertus Missarum Codex, altera pagina Imaginem exhibens pendentis è Cruce Reparatoris, atque altera formulam Juramenti per Electores singulos emittendi. Ubi Mensa hæc ad Disquisitores excipiendos in conspectu Throni & in medio Gremij posita desinebat, succedebant vtrinque sepositæ ad peristylia aliæ continuæ laterales, quæ pro Electoribus in medium emmittendis

tendis opportunis ſpatijs interruptæ, circumcirca omne reliquum Gremij obibant, ambiebantque, ipſæque non minùs ac prior illa Aulæis vſque ad ſolum tectæ, & neceſſarijs omnibus vbique inſtructæ erant ad Schedulas deſcribendas.

Templum in formam hanc aptatum ad Electiones, & Cœnobium ipſum clauſum ſub Cuſtodia manſit die Comitiali, ne multitudinis antelucano concurſu nobis vtrumque præriperetur. Proindè ſub primam lucem ritu quidem ſolemni ſed opertaneo, de more ſacrificatum fuit Spiritui Paracleto, & horam circiter mandato Summi Pontificis nobis dictam, in Templum Electores immiſſi, ſuiſque omnes ſtationibus ordine collocati. Antevenerant jam Summum Pontificem quatuor Domini Cardinales, ab eodem acciti, vt in Comitijs Diſquiſitores agerent, cùm & Ipſe Magnatibus atque Præſulibus adequitantibus, demum in Capitolium hoc ſuum ſubvectus fuit, & quodam Univerſi compendio, noſtro ſcilicèt Generali Capitulo Eidem applaudente, de Humana & Divina ſublimitate ſua per dignationem eximiam triumphavit. Admoniti per primum intuitum Pontificiæ Crucis illatæ Templo Electores ſuccedentem Vicarium Chriſti de genu adoraverunt, illoque ſervato habitu donec ad ſolium conſcendiſſet, tum Deſignatore ex nutu Summi Pontificis innuente ſteterunt Omnes, & Dominis Cardinalibus ſedentibus in dextro latere ad Menſam Diſquiſitionis, exceptiſque nonnullis Præſulibus, alijs omnibus extra factis, Summo Pontifice præſente ac præſidente tandem initium Comitijs datum eſt.

Deſignatoribus igitur Pontificijs omnes actiones omnium dirigentibus Secretarius Ordinis Ciſmontanus primùm ex Menſa ſumpſit labriolum Catalogorum, oblatoque Summo Pontifici qui graphicè fuerat ſcriptus in vſum ejus, accepit & ipſe ſuum in eodem labriolo ſubjacentem, & in Supremo Solij gradu enunciavit de genu Nomina Electorum, ad explorandam eorum omnium præſentiam, vt moris eſt. Comperto illos, qui advenerant, adeſſe omnes, Illuſtriſsimus, & Reverendiſsimus Dominus D. Vincentius Petra, Sacræ Congregationis negotijs Epiſco-

porum,

porum, & Regularium præpositæ Secretarius, ex arca Solij Pontificij recitavit Decretum stans; subrogatio num Electorum absentium omnimodis prohibitivum.

Post hæc deductus fuit ad solium P. Minister Generalis, & quidem vt se abdicaret Officio gestans labriolum Sigillorum, quod & præstitit incusans brevitèr & constantèr rationem gubernij sui. Sanctissimus è labriolo Sigilla sumpsit, & Renuntiationem exhibitam probavit annuens, acceptavitque. Subinde Zelum solvit Apostolici pectoris in allocutionem latinam ad Electores, quam exceperunt ipsi submissis genibus mentibusque, demirantes eloquentiæ nervos & momentorum incitamenta, quibus ad optima vota se veriùs sensere raptos, quam tantum extimulatos.

Allocutionem Pontificis Confessio Electorum subsecuta est. Constitit scilicet juxta solium duorum Cantorum alter, ex Electorum Cœtu antea designatorum, qui pronus stans absque superpelliceo ad Ecclesiasticos modos Confessionem consuetam proferret elata voce, submissa eandem alijs genuque posito vnà cum illo enuntiantibus. In Confessione hac post Beatos Apostolos Petrum & Paulum, etiam S. P. N. Francisci mentio solemnis inducta fuit, & ipsemet Summus Pontifex formula illa vtens ad impendendam absolutionem, qua resumuntur nomina omnia per Confessionem priùs insinuata, postquam ab illis verbis eam de more orditus est: *Precibus, & meritis Beatæ Mariæ semper Virginis, &c.* Consultò adjecit etiam nostrum Seraphicum Patriarcham, attexere pergens: *Beatorum Apostolorum Petri & Pauli, & Beati Patris Vestri Francisci, &c.* atque adeo nobis ad Confessiones inductionem hujusmodi, solemniori ritu, & sanctiori modo, quo poterat, consecravit.

Imploratus tum illapsus Divini Spiritus, etiam Summo Pontifice relicta Sede, ad Faldistorium proximum acclini genuflectente, & duobus Cantoribus primam stropham Hymni *Veni Creator* præcinentibus, cui alternis choris Ultramontani, & Cismontani Electores finem imposuerunt. Interea Summus Pontifex se se restituit Sedi suæ, ibique stans preces consuetas prosequutus est, Ver-

fu priùs ab ijsdem Cartoribus enunciato. Jamque Electioni nihil aliud, præter Disquisitores, supererat præmittendum, qui quatuor Dominis Cardinalibus per Summum Pontificem ad id vocatis, Officio & numero responderunt.

Ad solium ergo P. Generalis processit medius inter illos, qui per Primores ad ejusmodi Munus fuerant antea nominati, ibique positis omnes genibus: *Beatissime Pater*, proposuit Generalis, si *Sanctitati Vestræ placuerit, hi sunt Disquisitores electi ad recognoscenda, & adnotanda Suffragia.* Annuente Summo Pontifice, idem Generalis ad suam stationem reversus est, & sigillatim quatuor Disquisitores tacto Missarum Codice, qui apertus in postremo solij gradu offerebat Imaginem Crucifixi & formulam Sacramenti, ad illam quisque sese obstrinxit dicens: *Juro me secretum omnimodè servaturum*; vt juraverant singuli consurgebant, & præstitutis locis disponebantur in latere lævo Mensæ Disquisitionis, atque ibi quatuor nostrates stantes, juxtà Purpuratos quatuor consedentes, Disquisitioni demum vnà cum illis operam impenderunt.

Antequam tamen offerendis suffragijs initium fieret, idem Illustrissimus, & Reverendissimus Præsul D. Vincentius Fetra, & ex eodem quidem quo priùs loco, aliud in arena conceptum Electoribus Placitum intimavit, quo nimirum Summus Pontifex Electionem edixit assertam sibi, si ea primo suffragiorum concursu fortassis non successisset.

Secundò igitur eodem Secretario Ordinis Cismontano eodem quo primùm & gradu & habitu Electores singulos evocante, hi procedebant in medium Gremij ad pectus plicata sinistra manu, interque indicem atque pollicem dexteræ modestè schedulis elevatis, qui ad Mensam pervenientes Sanctissimo primùm genuflectebant, sinistramque deinde porrigentes ad codicem vt Sacramentum ferrent, tùm vnà schedulam immittebant in Arcam, pronunciabantque: *Juro me eligere, quem secundùm Deum judico meliorem.* Tunc iterata genuflexione, à dextro latere Mensæ ad solium accedebant, & cùm tertiùm

tium genuflexissent Sanctissimi Pedes exosculati, stationes pristinas à lævo ejusdem latere Mensæ singuli repetebant.

Nullo penitùs offendiculo Electores ducenti & nonaginta sex viam ejusmodi emensi sunt, dumque Schedulæ demum, censendo earum numerum, ex Arca in Labrum appositum extraherentur, vbi Electoribus compertæ pares, etiam disquiri continuò cœptæ sunt, & per gyrum à Cardinalium primo, ad nostrorum vltimum Disquisitorum fuerunt recognitæ ad vnam omnes, & suffragia simul ex ipsis quisque recognitor adnotavit. Hæc, Deo favente, multum supra exigitam medietatem in vnum confluxerant Eligendorum. Quo successu ab omnibus octo Disquisitoribus, per æquales singulis numeros deprehenso, ascenderunt ad solium tres Domini Cardinales (quartus enim de Comitibus ab apoplexia recenti hærebat infirmo gressu) gestantes folium singuli suarum Disquisitionum, in quibus ipsemet Summus Pontifex Electionem, vt vidit confectam esse, jussit vt ad formam redacta, quæ infra dabitur, Comitijs avidè præstolantibus ipsam de more denunciaretur.

Per Disquisitorij scribam confestìm id fuit præstitum, qui cùm loco abiturus Sanctissimo genuflexisset, Electionem ad formæ terminos exaratam recitans è suggestu, solemnitèr omnibus intimavit. Audita verò Electione mirari fuit, eatenùs omnes reverentiæ in Summum Pontificem constitisse, vt nihil prorsus vel obsequij, vel gaudij ad alium ab vno ipso contingerit redundare, inter quam obsequentis modestiæ non invitam tantùm exhibitionem, Neoelectus provolutus ad pedes Sanctissimi Præsidentis, toto seipso indiguit vt submitteret cervicem formidabili jugo, vtque pro dignitate concurrentium rerum ex tempore proloqueretur; brevitèr enim his fermè verbis profatus est: *Beatissime Pater libentèr huic, quam nec optavi, nec ambivi, obrenunciarem Dignitati, nisi timerem, ne nova jurgia exorirentur, & dissidia, & scandala, ad quæ vnicè vitanda tanto oneri humeros subjicio, confisus in altissima Sanctitatis vestræ Protectione, quam vna cum Sanctissima Benedictione supplicitèr imploro.* Proinde Summo Pontifici volenti parens,

reris, accepit prõnũs Sigilla de manu ejus, tantisque auspicijs attoniti Electores, Præsulem suum videntes inauguratum, eruperunt demum in Acclamationes peregrè jamdudum pressas, atque è statione sua cantorum altero præcinente: *Sanctissimæ Trinitati laus, & gloria*, elata voce, plenoque Choro ingeminarunt: *Laus, & gloria*; Tum cantor iterum: *Beatissimæ Virgini honor, & benedictio*, iterumque Electorum vox: *Honor, & benedictio*; Rursus cantor: *Beato Francisco Patri nostro decus, & gratulatio*, & Electores rursus: *Decus, & gratulatio*, Cantor demum: *Beatissimo Domino nostro Sanctæ, & vniversalis Ecclesiæ Pontifici Papæ Innocentio Tertiodecimo; qui dignatus est in hoc Capitulo præsidere humiles gratiæ, multi anni, æterna memoria*, Electoresque similitèr iterarunt Spiritu ferventiori: *Humiles gratiæ, multi anni, æterna memoria.*

Post effusum gaudium, explicatamque gratiam in modum hunc, Summus Pontifex Indulgentias deindè ad Electores singulos, etiam ipsorum consanguineos ad tertium gradum comprehendentes, aliasque ducentas ab vnoquoque pro libito dispensandas, prout Domini Cardinali Secretarij Brevium epistola præstitit, submissurus; Tunc ritu solemniori, precibus nimirum illis ab eodem præviè decantatis: *Adjutorium nostrum in Nomine Domini, &c.* trino Crucis signo sub Augustissimæ Trinitatis Nominibus, ter nobis omnibus benedixit, & Primoribus dumtaxat Capituli, qui advenienti obviaverant, sequentibus abeuntem, postquam tantum non quinque horas sic affuit rebus nostris, vt cum semel digredi è solio coactus esset, eas in suspenso haberi jusserit donec reverteretur, vtque ob incurrentem Sanguinem à sinistro tumenti oculo dolorem perpetem toleraverit, discessit tandem relinquens præsentibus mœrorem subductæ præsentiæ suæ, desideriumque adeò impressum nobis præsentibus, & absentibus suæ diutinæ sospitatis, vt quod alijs Principibus alij perhibentur ad gratiam palam professi esse, id huic nos per silentium quidem, vt vehementiorum motuum, & profundioris obsequij elinguis natura est, sed revera, sed pleniùs, sed quàm cupidissimè succlamantibus animis testati fuimus: *Nihil vltra optaremus, si Te immortalem haberemus.*

ELECTIONES.



N PRIMIS igitur, postquam Reverendissimus Pater Fr. Ildephonsus Biezma ex Provincia Castellæ, anno 1702. Reverendissimo Patri Fr. Ludovico de la Torre, ex Provincia S. Jacobi vita functo, in Vicarium Generalem Ordinis suffectus fuit, & titulo Generalis Ministri per Sedem Apostolicam decoratus, & postquam huic etiam sublato è vivis anno 1716. successit Reverendissimus Pater Fr. Joseph Garcia ex Provincia Immaculatæ Conceptionis, electus eodem anno Vicarius Generalis, & in sequenti anno 1717. ab eadem Apostolica Sede auctus Titulo Ministri Generalis; præsenti anno 1723. die 15. Maji Pervigilio scilicet Pentecostes, in hoc nostro Romano Templo S. Mariæ de Ara-Cœli, præsente & Præsidente Comitijs Generalibus Sanctissimo Domino Nostro Papa Innocentio XIII. electus fuit in Ministrum Generalem totius Ordinis S. P. N. Francisci Reverendissimus Pater Fr. Laurentius à S. Laurentio ex Romana Regularis Observantiæ Provincia, ejusdem Provinciæ Lector Jubilatus, & Pater, olim sexennio Guardianus Sacri Montis Sion, & nuper sexennio item pro Observantibus Vice-Commissarius Generalis, & ipsius Electio formula quæ hìc subnectitur publicata fuit.

In Nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti. Jubente Sanctissimo Domino Nostro Papa Innocentio XIII. præsente, & Præsidente in hoc Capitulo Generali totius Ordinis Fratrum Minorum hodie celebrato, assistentibus S. R. E. Cardinalibus, Paulutio Episcopo Albanensi, Congregationis Episcoporum, & Regularium Præfecto, Corsino ejusdem Ordinis apud Sanctam Sedem Protectore, Sanctæ Agnetis Secretario Status, & de Comitibus Sanctitatis Suæ secundum carnem Germano Fratre, specialiter à Sanctitate Sua pro Disquisitoribus quoque electis, promulgatur electio Ministri Generalis, vt infrà.

Hæc est electio Ministri Generali totius Ordinis

S.

S. Francisci, canonicè celebrata per Fratres Vocales capitulariter, ac legitimè congregatos in præsenti Conventu Aracœlitano Urbis, die 15. mensis Maji, anni Domini 1723. in qua quidem electione, &c.

Commissarius Generalis Familiæ Ultramontanæ.

Reverendissimus Pater Fr. Joannes de Soto, Provinciæ Regularis Observantiæ Immaculatæ Conceptionis Lector Jubilatus, & olim Custos, Ex-Secretarius Generalis Ordinis, ejusdemque Ordinis Procurator Generalis, atque vnà Comissarius Generalis Indiarum.

Pater, & Diffinitor perpetuus totius Ordinis.

Reverendissimus Pater Fr. Joseph Garcia, Provinciæ Regularis Observantiæ Immaculatæ Conceptionis Lector Jubilatus, & Pater, Ex-Secretarius Generalis Ordinis, & novissimè Minister Generalis.

Patres, & Diffinitores perpetui Familiæ Cismontanæ.

Reverendissimus Pater Fr. Cherubinus de Nardò, Provinciæ Reform. Sancti Nicolai Lector Emeritus, & Pater, & Observantium, atque Reformatorum Ex-Commissarius Generalis.

Reverendissimus Pater Fr. Cælestinus à Mediolano, Provinciæ Observantiæ Mediolani Lector Jubilatus, Ex-Secretarius Generalis Ordinis, iteratò Minister Provincialis, & Diffinitor Generalis, & per decennium pro Observantibus Vice-Commissarius Generalis.

Reverendissimus Pater Fr. Joannes Cosimus à Monte-Miniano, Provinciæ Reform. Thusciæ Lector Sacræ Theologiæ, Ex-Secretarius Generalis, & Ex-Vice-Commissarius Generalis Reformatorum.

Reverendissimus Pater Fr. Franciscus ab Altamura, Provinciæ Observ. Terræ Laboris Lector Jubilatus, & novissimè pro Observantibus Vice-Commissarius Generalis.

Reverendissimus Pater Fr. Joannes de Petrafitta, Provinciæ Reform. Calabriæ Lector Emeritus, atque Pater, Ex-Procurator Generalis Reformatorum, & eorundem novissimè Vice-Commissarius Generalis.

Reverendissimus Pater Fr. Antonius à Neapoli, Provinciæ Observ. Terræ-Laboris Lector Generalis, Ex Secretarius Generalis Ordinis, & Rescripto Apostolico Ex-Commissarius Generalis.

Procurator Generalis in Romana Curia.

A. R. P. Fr. Matthæus à Pareta, Provinciæ Observ. Terræ-Laboris Lector Jubilatus, & Ex-Minister, & nuper ejusdem Curiæ Commissarius Generalis.

Commissarius Generalis Romanæ Curiæ.

A. R. P. Fr. Hiacynthus Serrat, Provinciæ Catalauniæ Lector Jubilatus, & Pater.

Procurator Generalis in Curia Romana pro Reformatis.

A. R. P. Fr. Benedictus à Castro-Arquato, Provinciæ Reform. Bononiæ Lector Emeritus, & Pater, qui novissimè eodem Procuratoris Generalis Officio fungebatur.

Procurator Generalis in Romana Curia pro Excalceatis, & Recollectis.

A. R. P. Fr. Joannes Diaz, Provinciæ Excalceat. S. Didaci in Bæthica Lector Theologus, & Minister.

Diffinitores Generales pro Familia Ultramontana.

A. R. P. Fr. Joannes de Salazar, Provinciæ Observ. Carthaginensis Lector Jubilatus, & Minister.

A. R. P. Fr. Antonius Doro, Provinciæ Burgensis Lector Jubilatus, & Pater, & Ex-Secretarius Generalis Ordinis.

A.

A. R. P. Fr. Carolus Bourget, Provinciæ Observ. Franciæ Parisiensis Lector Jubilatus, & Pater, Doctor Sorbonicus, & per Gallias Commissarius Generalis Terræ Sanctæ.

A. R. P. Fr. Petrus Poisson Concionator Regis Christianissimi, Provinciæ Observ. Franciæ Lector Jubilatus, & Pro-Minister.

A. R. P. Fr. Saturninus Dirop, Provinciæ Britanniæ Recollectorum Lector Emeritus, Pater, & Pro-Minister.

A. R. P. Fr. Michael Mosterz, Provinciæ Recollect. Coloniensis Lector Jubilatus, & Minister.

A. R. P. Fr. Franciscus Delamar, Provinciæ Recollect. Hyberniæ Lector Jubilatus, & Minister.

A. R. P. Fr. Emmanuel de Remedijs, Provinciæ Observ. Algarbiorum Lector Jubilatus, Pater, & Custos.

A. R. P. Fr. Thomas Montalbo, Provinciæ Excalceat. Granatæ Lector Theologus, & Minister.

A. R. P. Fr. Joseph de Sancta Theresia, Provinciæ Tertij Ordinis Lusitaniæ Lector Jubilatus, Pater, & Custos.

Diffinitores Generales pro Familia Cismontana.

A. R. P. Fr. Carolus à Corleto, Provinciæ Observ. Basilicatæ Lector Jubilatus, Ex Minister, & Curiæ Romanæ Ex-Commissarius Generalis.

A. R. P. Fr. Bartholomæus à Vulsinio, Provinciæ Observ. Romanæ Lector Jubilatus, Ex-Secretarius Generalis, & Minister Provincialis.

A. R. P. Fr. Gabriel à Venetijs, Provinciæ Observ. S. Antonij Lector Jubilatus, & Pater.

A. R. P. Fr. Albericus Balbianus à Liburno, Provinciæ Observ. Thusciæ Pater, & Provisor Capituli Generalis.

A. R. P. Fr. Joannes Franciscus à Sorexina, Provinciæ Observ. Mediolani Lector Jubilatus, & iteratò Secretarius Generalis Ordinis.

A. R. P. Fr. Hilarius Maria de Ragusio, Provinciæ Observ. Ragusij Lector Theologus, & Minister.

A. R. P. Fr. Andreas Pordagni, Provinciæ Reform. Hungariæ S. Mariæ Lector Emeritus, & Minister.

A. R. P. Fr. Joannes Benedictus à Sarzana, Provinciæ Reform. Genuensis Lector Emeritus, atque Custos.

A. R. P. Fr. Serafinus à S. Fratelo, Provinciæ Refor. Siciliæ Pater, & Custos.

A. R. P. Fr. Michael Angelus à Gallipoli, Provinciæ Reform. S. Nicolai Lector Emeritus, & Minister.

Guardianus S. Montis Sion.

R. P. Fr. Jacobus de Luca, Provinciæ Observ. Romanæ Missionarius Apostolicus.

Lectores Generales Sacræ Theologiæ.

In Conventibus ad Jubilationem designatis.

In Provincia Romana.

In Conventu S. Mariæ de Ara-Cœli.
P. Fr. Casimirus de Roma.
P. Fr. Joannes Carolus de Roma.
P. Fr. Joseph Maria ab Ebora.
In Conventu Paradisi Viterbij.
P. Fr. Joseph Maria ab Artio.
P. Fr. Vincentius Antonius de Caprarola.
P. Fr. Andreas à Furno Volasco.

In Provincia S. P. N. Francisci.

In Conventu S. Francisci Montis Perusij.
P. Fr. Hippolitus à Coceto.
P. Fr. Franciscus Antonius de Brixia.
P. Fr. Mauritius Andreas à Portu Mauritio.
In Conventu S. Hieronymi Perusij.
P. Fr. Ludovicus de Venetijs.
P. Fr. Antonius Maria de Mediolano.
P. Fr. Vincentius Antonius de Roma.

In

In Provincia Marchiæ.

In Conventu S. Francisci Anconæ.
P. Fr. Joannes Baptista de Albacina.
P. Fr. Franciscus Maria à Pisauro.
P. Fr. Dominicus Andreas de Ancona.
In Conventu S. Mariæ Novæ Fani.
P. Fr. Crescentius à Domobasciana.
P. Fr. Joseph Maria de Ancona.
P. Fr. Antonius Maria ab Utino.

In Provincia Tusciæ.

In Conventu Omnium Sanctorum Florentiæ.
P. Fr. Thomas Felix à Castrofranco.
P. Fr. Candidus de Pelago.
P. Fr. Angelus Cherubinus de Florentia.
In Conventu S. Francisci Lucæ.
P. Fr. Raphael à Barberino.
P. Fr. Leopoldus de Florentia.
P. Fr. Deodatus à Volaterris.

In Provincia Bononiæ.

In Conventu SS. Nuntiatæ Bononiæ.
P. Fr. Aloysius à Carpo.
P. Fr. Jacobus à Finali.
P. Fr. Honorius de Bononia.
In Conventu S. Spiritus Ferrariæ.
P. Fr. Joseph Maria à Mirandula.
P. Fr. Joannes Baptista de Faventia.
P. Fr. Ægidius Antonius à Carpo.

In Provincia Sancti Antonij.

In Conventu S. Francisci Paduæ.
P. Fr. Michael Angelus de Venetijs.
P. Fr. Laurentius Antonius à Sumontio.
P. Fr. Joannes de Cadoro.

In Conventu S. Francisci Vinearum.
P. Fr. Joannes Petrus Antonius de Venetijs.
P. Fr. Joseph de Marostica.
P. Fr. Alexander Maria de Venetijs.

In Provincia Genuae.

In Conventu Sanctissimae Annuntiatae Genuae.
P. Fr. Cherubinus à Capriata.
P. Fr. Aloysius Cajetanus de Albinga.
P. Fr. Franciscus de Camulio.

In Provincia Mediolani.

In Conventu S. Angeli Mediolani.
P. Fr. Mauritius à Briantia.
P. Fr. Carolus Antonius à Lauda.
P. Fr. Ludovicus à Carcano.

In Provincia Principatus.

In Conventu S. Didaci Neapolis.
P. Fr. Andreas ab Altavilla.
P. Fr. Cajetanus de Laurino.
P. Fr. Cajetanus Maria de Neapoli.

In Provincia Sanctorum septem Martyrum.

In Conventu S. Mariae Jesu Montis Leonis.
P. Fr. Hermenegildus ab Aci.
P. Fr. Salvator ab Aquaro.
P. Fr. Joannes Baptista de Francica.

In Provincia Siciliae.

In Conventu S. Mariae Jesu Messanae.
P. Fr. Reginaldus ab Aci.
P. Fr. Seraphinus à Castania.
P. Fr. Rosarius à Pactis.

In Provincia S. Nicolai.

In Conventu S. Antonij Licij.
P. Fr. Franciscus Antonius à S.Vito.
P. Fr. Franciscus Maria ab Andria.
P. Fr. Jacobus à Locorotundo.

In Provincia S. Bernardini.

In Conventu S. Bernardini Aquilæ.
P. Fr. Cajetanus ab Interaquis.
P. Fr. Angelus Maria de Spinetulo.
P. Fr. Fabritius Cajetan. à Vallemontana.

In Provincia S. Angeli.

In Conventu Jesu Mariæ Fogiæ.
P. Fr. Nicolaus Antonius de Cupersano.
P. Fr. Angelus à S. Nicandro.
P.Fr. Joannes Baptista à Monte Gargano.

In Provincia Dalmatiæ.

In Conventu S. Annæ Justinopolis.
P. Fr.
P. Fr.
P. Fr.

In Provincia Corsicæ.

In Conventu S. Francisci Bastiæ.
P. Fr. Isaias à Campo laureo.
P. Fr. Jacobus ab Ochiatana.
P. Fr. Petrus Nicolaus à Capratola.

In Provincia Ragusij.

In Conventu S. Francisci Ragusij.
P. Fr. Ignatius à Ragusio.

P. Fr. Antonius à Ragusio.
P. Fr. Petrus Paulus à Placentia.

In Provincia Brixiæ.

In Conventu S. Joseph Brixiæ.
P. Fr. Franciscus Isidorus de Brixia.
P. Fr. Elisæus de Brixia.
P. Fr. Innocentius de Brixia.

In Provincia Basilicatæ.

In Conventu S. Antonij Titi.
P. Fr. Joseph de Craco.
P. Fr. Michael Angelus à S. Mauro.
P. Fr. Nicolaus à Lacunigro.

In Provincia Bosnæ Argentinæ.

In Conventu S. Francisci Budæ.
P. Fr. Simon Micich à Possega.
P. Fr. Petrus à Mostaria.
P. Fr. Laurentius à Buda.

In Provincia Terræ-Laboris.

In Conventu S.Mariæ Novæ Neapolis.
P. Fr. Michael à S. Marcellino.
P. Fr. Samuel de Neapoli.
P. Fr. Antonius de Capreis.

In Provincia Calabriæ.

In Conventu S. Francisci Cõnsentiæ.
P. Fr.
P. Fr. Bernardinus de Morano.
P. Fr. Antonius de Terranova.

In Provincia S. Didaci.

In Conventu S. Bernardini Alexandriæ.
P. Fr. Angelus Joseph ab Alexandria.
P. Fr. Carolus Franciscus à Solerio.
P. Fr. Lucius à Solerio.

In Provincia S. Thomę Apostoli.

In Conventu S. Thomæ Taurini.
P. Fr. Paulus Franciscus à Monteforti.
P. Fr. Marcellus de Cuneo.
P. Fr. Ludovicus à Montevici.

In Provincia Vallis Mazariæ.

In Conventu S.Mariæ Angelorum Panormi.
P. Fr. Uvillelmus de Sospello.
P. Fr. Ægidus à Marsalia.
P. Fr. Antonius Maria de Panormo.

In Provincia Vallis Neti.

In Conventu S. Mariæ Jesu Modicæ.
P. Fr. Constantius à Melita.
P. Fr. Joachinus à Melita.
P. Fr. Antonius Maria à Calatayerone.

In Provincia Russiæ.

In Conventu S. Andreæ Leopolis.
P. Fr. Joannes Maria à Montopoli.
P. Fr. Alexius de Roma.

DECRETUM
SUMMI PONTIFICIS
INNOCENTIJ XIII.
PROHIBENS IN PERPETUUM
Subrogationes Vocalium quacumque de causa ad Generale Capitulum non accedentium.

Ordinis Minorum S. Francisci.

HUmilibus exhibitis precibus Sanctissimo Domino Nostro Papæ Innocentio XIII. in præsenti Generali Capitulo Ord. Minorum S. Francisci Præsidenti, Minister Generalis ejusdem Ordinis Fr. Joseph Garcia enixè supplicavit, vt Sanctitas Sua benignè sibi impertiri dignaretur facultatem subrogandi alios idoneos Fratres in suffragio præstando prò electione Ministri Generalis Successoris in eodem Capitulo facienda loco, sive vice absentium Vocalium, qui ex longinquis Regionibus vltra Mare tempore congruo accedere, sive interesse non valuerunt, pluribus deductis causis, rationibusque, & præsertim quia aliàs Summi Romani Pontifices instantibus Ministris Generalibus similibus precibus aliquando annuere dignati fuerunt, etiamque in præsenti, quod Convocatio hujusmodi Capituli Generalis à Sanctissimo facta in remotis illis Regionibus pervenerit tempore congruo, non constat.

Attamen Sanctissimus Dominus Noster re maturè perpensa non sine animi sui angustia ejusmodi supplicationibus dicti Ministri Generalis erga Sedem Apostolicam,

tolicam, suamque Religionem optimè meriti minimè annuere censuit, atque confidit, eo quo Minister ipse Generalis flagrat zelo, forè vt libentèr patiatur, quod Sanctitas Sua precibus ejusmodi non annuat; Sedulò perpendens à subrogationibus hujusmodi abstinere expediens omninò esse, ne intrinsecus, & extrinsecus libertatem in Capitulis Generalibus insultandi, & detrahendi, occasio, & exemplum vel etiam immeritò desumatur; Sicque vndequaque integra, illibata, & intacta Vocalibus convenientibus ad Capitulum remaneat eligendi facultas, in quibus juxtà Juris, & Instituti Regulas consolidari jus eligendi debet, convenit, & expedit; Ex quibus alijsque rationibus subrogationes hujusmodi fieri, nedum ipsa Statuta Ordinis expressè prohibuerunt, sed & Constitutiones Apostolicæ districtè interdixerunt: Quemadmodum in Constitutione Innocentij XIII. Prædecessoris incipien. *Christi fidelium*, §. *Perpendentes* edita Romæ 16. Februarij 1694. in qua expressè absentium Vocalium vota, nec Protectoris, nec cujuscumque alterius, nec etiam ipsarum Cardinalium Congregationum Auctoritate suppleri, seu alios Vocales eorumdem absentium loco subrogari prohibuit.

Quapropter Sanctitas Sua pro suo in hunc particularem Gregem benedicente Domino, sub ejus oculis, & præsidentia congregatum Pastorali Zelo, & Apostolicæ dilectionis affectu, vt Sacrosancta libertas in electione omninò integra, prout juris est, Vocalibus in Capitulo congregatis conservetur, vtque exemplo cæteris in posterum congregandis salubris hæc provisio fiat, eas omnes prohibitiones circa subrogationes nedum derogare noluit, sed confirmando, & approbando, omninò observari mandavit, & præcepit; atque iterum, quatenus opus sit, subrogationes, & suppletiones votorum loco, & vice Vocalium absentium prohibuit, & interdixit: ità vt subrogationes, & dispensationes forsan impetratæ à Romanis Pontificibus in futurum subreptitiæ, & obreptitiæ censeantur, nisi facta de hujusmodi Decreto mentione, & speciali ejus derogatione. Insuperque Sanctitas Sua ad majorem cautelam omnes, & singulos Juris, & facti


de-

defectus, si qui forsan intervenerint, sive interveniant, propter Vocalium hujusmodi absentiam ob non fortasse perventam ad aliquas remotas Provincias Intimationis hujus Capituli notitiam ex plenitudine Apostolicæ Potestatis motu proprio, ac certa scientia, hoc præsenti Decreto supplevit, & supplet.

Quod quidem Decretum provisionis, seù prohibitionis idem Sanctissimus expediri per Congregationem Episcoporum, & Regularium, ac in ejus Regestis transcribi, publicarique in præsenti Capitulo Generali congregato, ac inter ejus acta registrari ad perpetuam memoriam Sanctitas Sua mandavit, & indixit. Dat. Romæ die 15. Maji 1723.

F. Cardinalis Paulutius.

V. Archiepiscopus Damascenus Secret.



DECRETUM


EJUSDEM SUMMI PONTIFICIS

IN IPSO CAPITULO GENERALI ab illo datum, quo scilicet Electionem advocabat sibi, nisi ea primo Scrutinio confecta esset.

IN præsenti Generali Capitulo sub Præsidentia Sanctissimi Domini Nostri Papæ Innocentij XIII. cùm mox Scrutinium sit celebrandum pro Electione Ministri Generalis Ordinis S. Francisci, Sanctitas Sua paterno, quo flagrat, Zelo erga prædilectam hanc Religionem, enixè omnes, & singulos Vocales in Domino hortatur, & monet, vt proprij muneris conscij in eum conspirent votis, quem secundum Deum idoneum pro tanto mu-

munere ferendo summa maturitate cognoverint. Quod si Vocales sibi ipsis indulgentes, & partium adhærentium studio distracti electionem in hoc Scrutinio, juxta Constitutionum tenorem non perfecerint, ne diutius dissonantium animorum discordiæ protrahantur, Sanctitas Sua motu proprio monet, & declarat, electione Ministri Generalis non facta in hoc primo Scrutinio, ipsam electionem sibi ipsi assumere velle, sicut ex plenitudine Apostolicæ Authoritatis, & præsentis Decreti thenore, nunc pro tunc ad se devolutam declarat, atque decernit, ità vt aliud secundum Scrutinium amplius replicari, etiam præsenti die non possit, nec debeat. Non obstantibus Ordinis Constitutionibus, etiam specialitèr à Sede Apostolica confirmatis, alijsque Ordinationibus Apostolicis, Statutis, & Consuetudinibus, cæterisque contrarijs quibuscumque. Quod Decretum Sanctitas Sua in Actis Capitularibus registrari mandat. Dat. in Capitulo Generali hac die 15. mensis Maji 1723.

G. Card. S. Agnetis.



BREVE

BREVE

SUMMI PONTIFICIS

INNOCENTIJ XIII.

CONFIRMANS IN FORMA SPECIFICA Statutum Capituli Generalis de Precibus, & Suffragijs pro eodem in Ordine persolvendis.

INNOCENTIUS PP. XIII.

Ad perpetuam rei memoriam.

EX injuncti nobis divinitus Pastoralis Officij debito illa, quæ à Christi fidelibus Altissimi Obsequijs sub suavi Regularis Disciplinæ jugo mancipatis vberesque bonorum operum fructus benedicente Domino proferre jugiter satagentibus pio, vnanimique constituta esse noscuntur consilio, vt perpetua firmitate perennentur, libenter Apostolici muniminis nostri præsidio, cum id à nobis petitur, roboramus. Exponi siquidem nobis nuper fecerunt dilecti Filij Minister Generalis, & Diffinitores etiam Generales Ordinis Fratrum Minorum S. Francisci, tàm de Observantia, quàm Reformatorum nuncupatorum, quod ipsi, alijque ejusdem Ordinis Fratres in eorum Capitulo Generali novissimè in Conventu S. Mariæ de Ara-Cœli Almæ Urbis nostræ celebrato simul congregati, ac secum reputantes peculiarem illum paternæ charitatis affectum, quo vniversum Ordinem prædictum in humilitate quippè, & paupertate fundatum, ac præclaris in Catholicam Religionem, & hanc Sanctam Sedem me-

meritis fulgentem, prisco Gentis nostræ, pluriumque de Sanguine, & Familia nostra Romanorum Pontificum Prædecessorum nostrorum, qui eumdem Ordinem, illiusque Fratres plurimi semper fecerunt, more & instituto complectimur, necnon recolentes recentia, atque luculenta Pontificiæ nostræ benevolentiæ argumenta, quæ eis, vel maximè perhibuimus occasione memorati eorum Capituli Generalis, quod non modo coram nobis convocavimus, sed præsentia etiam nostra decorari voluimus; ac propterea aliquod grati, & devoti illorum in nos animi testimonium exhibere, ac perpetuum monumentum extare cupientes, communibus suffragijs decretum ediderunt, & promulgarunt thenoris, qui sequitur videlicet. Decretum. Cum Sanctissimus Dominus Noster Innocentius Divina Providentia Papa XIII. egregiam in nostrum Ordinem voluntatem à Majoribus suis etiam ad Apostolicam Sedem evectis jure quodam Sanguinis, ac indita suæ Genti pietate in se derivatam singulari beneficentiæ, atque amoris argumento comprobare volens vniversæ Familiæ nostræ Comitijs Idibus Maji in Ædibus S. Mariæ de Ara-Cœli celebratis dignatus sit interesse, ac præsidere, tanta Optimi Principis humanitate, ac majestate simul, vt erumpentes præ gaudio lachrymas coram Apostolico Throno vix revocandi nobis potestas fieret; ne tàm illustris beneficij memoria vlla vnquam temporum injuria, aut asperitate nostrorum mentibus excedat, Generale Capitulum gratum animum, vtut per Franciscanam paupertatem licet, exhibere cupiens, proponente Reverendissimo Patre Ministro Generali, approbantibusque Diffinitorij Patribus statuit, atque decernit, vt faustus ille dies, qui tanta, ac tàm insigni Clementissimi Principis dignatione honestatus est, inter festivos, & toti Ordini Sacros perpetuis futuris temporibus habeatur, singulisque annis eodem ipso recurrente die in omnibus vtriusque Familiæ Conventibus pro longæva prosperitate Sanctitatis Suæ, atque inclytæ nobilissimæque suæ Domus incolumitate, ac sospitate Sacrum solemne peragatur, atque omnibus vniversi Ordinis vtriusque sexus Frattribus, & Sororibus eadem pro

re crebræ ad Deum preces fundantur. Ne autem hæc grati animi testificatio vna cum vita Sanctitatis Suæ, quam Deus Optimus Maximus ad Christianæ Reipublicæ felicitatem, & Nostri Ordinis compendium diù, multùmque servare dignetur, finem aspiciat, Idem Capitulum Generale proponente eodem Reverendissimo Generali Ministro, probantibusque eisdem Diffinitorij Patribus, statuit, ac mandat, vt cum Sanctitas Sua viam vniversæ carnis ingressus mortales hasce exuvias reliquerit, pro ejus Animæ requie omnes, & singuli vniversi Ordinis Sacerdotes tres Missas celebrent, & in singulis Conventibus solemnis Missa cum integro Defunctorum Officio decantetur. Clerici verò, & Laici, Monialesque omnes, ac respectivè singuli, & singulæ tres, vt ajunt, Coronas B. Mariæ Virginis, & duas Stationes recitent, atque insuper, vt monimento numquam interituro tanti Pontificis memoria consignetur, in omnibus vniversi Ordinis Conventibus perpetuò pro anima ejus fiat Aniversarium. Id autem in omnes tabulas Ordinis inscribi, ac inferri, & per vniversum Franciscanum Orbem promulgari idem Capitulum Generale cavit, sanxit, ac decretum voluit in Comitijs Generalibus Aracœlitanis hac die 17. mensis Maji anno Domini 1723. Fr. Laurentius à S. Laurentio Minister Generalis. Fr. Joseph Garcia Ex-Minister Generalis. Fr. Joannes de Soto Commissarius Generalis, & Indiarum. Fr. Cherubinus à Nardo Ex-Commissarius Generalis. Fr. Deodatus à Roma Ex-Vice Commissarius Reformatorum. Fr. Franciscus ab Altamura Ex-Vice Commissarius Generalis Observ. Fr. Antonius Blanch Discretus perpetuus Ordinis. Fr. Joannes Cosmus à Monte Miniani Discretus perpetuus Ordinis. Fr. Joannes à Petrafitta Ex-Vice-Commissarius Generalis. Loco ✠ sigilli. Cum autem sicut eadem expositio subjungebat, ipsi exponentes Decretum hujusmodi à nobis approbari, & quo firmius subsistat, Apostolicæ confirmationis nostræ patrocinio communiri plurimum desiderent: Nos sinceram Fratrum Ordinis prædicti in nos, & Sedem Apostolicam devotionem attendentes, plurimumque in Domino commendan-
tes,

tes, enixis, ac iteratis ſupplicationibus eorumdem exponentium nomine nobis ſuper hoc humilitèr porrectis inclinati; Decretum præinſertum Auctoritate Apoſtolica harum ſerie approbamus, & confirmamus, ratumque, & acceptum habemus, illique inviolabilis Apoſtolicæ firmitatis robur adjicimus, ac omnes, & ſingulos Juris, & facti defectus, ſiqui deſuper quomodolibet intervenerint, ſupplemus. Decernentes eaſdem præſentes litteras ſemper firmas, validas, & efficaces exiſtere, & fore; ſuoſque plenarios, & integros effectus ſortiri, & obtinere, ac ab illis, ad quos ſpectat, & pro tempore quandocumque ſpectabit, inviolabilitèr obſervari, ſicque in præmiſsis per quoſcumque Judices Ordinarios, & Delegatos etiam Cauſarum Palatij Apoſtolici Auditores judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane, ſi ſecus ſuper his à quoquam quavis auctoritate ſcientèr, vel ignorantèr contigerit attentari. Non obſtantibus præmiſſis, ac Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, necnon quatenùs opus ſit, prædicti Ordinis, aliiſvè quibuſvis etiam juramento, Confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis Statutis, & Conſuetudinibus, Privilegijs quoque, Indultis, & Litteris Apoſtolicis in Communium præmiſſorum quomodolibet conceſsis, confirmatis, innovatis; quibus omnibus, & ſingulis, illorum thenores, præſentibus prò plenè, & ſufficientèr expreſsis, & ad verbum inſertis habentes, illis aliàs in ſuo robore permanſuris, ad præmiſſorum effectum hac vice dumtaxat ſpecialitèr, & expreſsè derogamus, cæteriſque contrarijs quibuſcumque. Volumus autem, vt ipſarum præſentium litterarum tranſumptis, ſeu exemplis etiam impreſsis manu alicujus Notarij publici ſubſcriptis, & ſigillo Perſonæ in Eccleſiaſtica Dignitate conſtitutæ munitis eadem prorsùs Fides in Judicio, & extrà illud habeatur, quæ haberetur eiſdem præſentibus, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem ſub annulo Piſcatoris die 3. Junij 1723. Pontificatus Noſtri anno tertio.

F. Cardinalis Oliverius.

Fr. LAURENTIUS A S. LAURENTIO

TOTIUS ORDINIS S. P. N. Francisci Minister Generalis, & Servus.

UNIVERSIS; ET SINGULIS Superioribus, & Subditis Nostræ Curæ subjectis, tàm Observantibus, quàm Reformatis, Recollectis, Excalceatis, Tertij Ordinis, vel alio quocumque nomine nuncupatis Textum Regulæ Seraphicæ sub vno capite profitentibus, salutem, & Seraphicam Benedictionem.

QUÆ nuper à summa, ac penè incredibili Sanctissimi Domini Nostri Innocentij, Divina Providentia Papæ XIII. beneficiencia præclarè sunt, ac insignitèr gesta ad decus nostri Ordinis sempiternum, & si neminem Vestrum latere posse arbitramur, tùm quod res ipsa suomet nomine celebris per silentium abscondi minimè patitur, tùm quod ingens nostrorum frequentia ex toto ferè Terrarum Orbe collecta grati animi debito, ac religioni ducit vbique illa prædicare, placuit tamen parvitati nostræ eadem Vobis per litteras renunciare, vt qui licèt immeriti

titi ad totius Ordinis regimen fuimus, Deo disponente; promoti, ex nostra insinuatione excitetur in Vobis communis causa lætitiæ, & vna sit cum capite omnium membrorum in pia exaltatione consensio. Et sanè Nobis magnopere lætandum est, quòd hac temporum conditione Eum Divina Clementia Ecclesiæ Sanctæ Suæ Pastorem, ac toti Christiano Orbi Principem dederit, qui non solum ex illa gente ortus est, quæ sicuti egregios Apostolicæ Sedi Pontifices, ac præclaros Christianæ Reipublicæ Instauratores, & Vindices identidem peperit; ità ob ingenitam inclyto sanguini pietatem eosdem Protectores eximios, Parentesque benignissimos præformavit, Fraternitatem nostram tenerrimè diligentes, honestantes, ac modis, studijsque omnibus confoventes, sed qui etiam domesticis hisce exemplis admonitus omnium majorum suorum pietatem in se vnum cumulatiùs derivatam singularibus in dies humanitatis, ac benignitatis documentis nititur comprobare. Illud equidem insigne egregiæ in nos voluntatis suæ argumentum est, quod inter primas Apostolici pectoris curas de toto Orbe sollicitî illam nec respuerit, nec reliquam fecerit, sed ex animo foverit, qua vniversæ Familiæ Nostræ splendori, vnicuique verò nostrum commodis, vtilitati, omnique bono studeret. Hinc illa Paterni amoris dignatio, qua non tantùm generalia nostra comitia temporum asperitate diù intermissa coram se indicere, nobisque de nostris rebus conferendi consilia, Magistratus nostros creandi potestatem facere voluit, quæ magna humanitas est, sed etiam (quod vota nostra excedere possit) eisdem Comitijs interesse, ac præsidere per se ipse non est dedignatus; non insueto quidem Pontificiæ comitatis exemplo, si Superiorum ætatum consuetudinem inspiciamus, sed novo, ac planè mirabili, si præsentis ævi magnificentiæ, ac Romanorum Pontificum Majestatis rationem habeamus. Hæc autem, & si Vobis omnibus perspicua esse putamus, jubemus ad memoriam revocari, vt quantum totus Seraphicus Ordo, ac vnusquisque nostrum Optimo Benignissimoque Principi debeamus, quantumque nos felicitatem temporis

hujus nobis ipsis gratulari oporteat, ex nostris litteris intelligatis. Neque tamen ignoramus, inter tot communis gaudij argumenta id vnum fortè permolestum vobis contingere potuisse, quod ijs in Comitijs humilitas nostra totius Ordinis clavo admota sit, in quibus pro rei dignitate, ac splendore Pontificiæ præsentiæ eum decebat Supremum Vestri Moderatorem renuntiari, qui omni Virtutum genere ornatus non solùm oneri par esset, sed etiam eo majorem omni expectatione se ipse probaret, quod tàm præclaris est inauguratus auspicijs. Sed quanquam exiguitatis nostræ memores, Nos tales non esse noscamus, qui huic muneri dignè exequendo pares simus, alacres tamen demandatum nobis onus suscepimus, cùm Divini Numinis præsidio, cujus sapientiæ consilio tenuitas nostra ad summum tàm illustris Ordinis regimen erecta est, tum Vestra confisi virtute, qui vocati in partem hujus sollicitudinis pondus nostræ insufficientiæ commissum ea ratione levare potestis, quod alijs Fratribus præsidentes in gregè vobis concredito severioris instituti propositum custodiendi, Sancti, ac Seraphici P. N. Francisci præcepta consiliavè instaurandi, majorum nostrorum exempla fovendi vestris hortamentis, doctrinis, exemplis facultatem habetis. Quod enim nostris viribus assequi non valemus, vt in tota, ac tam magna Ordinis Nostri amplitudine Sanctæ Nostræ Regulæ forma vbique inviolata servetur, Regularis Disciplinæ rigor nullibi laxetur, honestæ, ac ingenuæ artes vndique excitentur, instituta deniquè, ac jura omnia, sarta tectaque custodiantur; id omni solertia, vigilantia, sollicitudine eorum, quibus alijs præesse à Domino datum est, facilè nos consequuturos esse speramus. Hortamus prepterea Provinciarum Ministros, ac Prælatos omnes, vt ità Subditis suis imperare norint,
1.Petr. cap. 5 vt filijs non mancipijs præesse se cogitent, *neque vt dominantes in cleris, sed forma facti gregis ex animo, in omnibus seipsos præbeant, secundum Apostoli monitum,*
Ad Tit. c. 2. *exemplum bonorum operum in doctrina, in integritate, in gravitate.* Eam autem optamus adhibeant ægris animis medicinam, quæ piam Matrem deceat, non quæ impe-

nimis Domini sapiat austeritatem; formam illam præ ocu-
lis habentes, quam Seraphicus Pater Noster Franciscus
Prælatis suis servandam præscripsit, vt sint *in mandatis* B. Franc. in
moderati; in peccatores misericordes; in condonando faci- Opusc. epist.
les, in verbis mansueti. Sic enim exulceratæ mentes fa- 9. ad Provin-
cilius ad sanitatem revocantur, cum asperitas correctio- ciales Minis-
nis oleo lenitur mansuetudinis. Id autem nullus Præla- tros.
torum consequi se posse præsumat; nisi quos corrigit ex
charitate diligat. Enim verò, vt verè diuinè Seraphicus
Patriarcha Noster scriptum reliquit, *tolerare non pote-* B. Franc. in
rit, quos amare desierit. Ante omnia itaque Fratres cha- Opusc. Epist.
rissimi, quibus à Domino Fratrum Vestrorum regimen T. ad F. Eliā.
commissum est, nolite esse sapientes in oculis vestris,
nec vestræ inniti prudentiæ, sed illam potiùs à Deo pe-
tite, quæ desursum est, sapientiam habitantem in con-
silio, & ea, non quæ carnis sunt, sed quæ spiritus sug-
gerentem. Hanc enim, quæ summè necessaria est ani-
marum rectoribus, vos adeptos esse indicio erit, si hu-
manis affectionibus vacui, privatisque studijs spoliati
mansuetudinem, lenitatem, suavitatem in præcipiendo,
hortando, arguendo adhibueritis: *Benignus est enim,* Sapient. 1.
vt sapiens ait, *Spiritus sapientiæ. Quod si zelum amarum*
habetis, admonet vos in sua Canonica Epistola B. Jaco- Jacob. 3.
bus, *& contentiones sint in cordibus vestris, non est ista*
sapientia desursum descendens, sed terrena, animalis, dia-
bolica. Qui ergo estis Deo pro Fratribus vobis concre-
ditis rationem reddituri, in id sedulò curas vestras inten-
dite, ne ad iracundiam provocetis Filios vestros, sed
potiùs bonorum operum, & Sanctæ conversationis
exemplo formam eis præbeatis, ad quam mores suos
componere valeant: Custodientes fideliter in eis depo-
situm Patrum Nostrorum: *Propter quod vt*, Apostolus
monet, *remissas manus, & soluta genua erigite, & gres-* Ad Hæbr. 12
sus rectos facite pedibus vestris, vt non claudicans quis
erret, magis autem sanetur, pro virili contendentes, ne
super vos prophetica illa exprobratio descendat: *Quod* Ezech. 34.
infirmum fuit non consolidastis, & quod ægrotum non
sanastis, quod confractum non alligastis, & quod abjec-
tum non reduxistis, & quod perierat non quæsistis: Sed
cum

cum auctoritate imperabatis eis, & cum potentia. Hæc, si pro vestra prudentia memoria repetere vos non pigeat, haud dubitamus, quin, quod in votis habemus, vt de sollicitudine vestra gloriemur, tanquam de gaudio, & corona nostra, Nobis ex sententia succedat. Universos autem Vos, ac singulos Fratres per viscera charitatis Christi obsecramus, & obtestamur, vt memores sitis Sancti Instituti Vestri, & Sacramenti, quo vos ipsi adegistis ad serviendum Deo viventi, *vt abnegantes impietatem, & sæcularia desideria, sobriè, justè, & piè vivatis in hoc sæculo*, Apostolicum illud vobiscum identidem reputantes, *quod nemo militans Deo implicat se negotijs Sæcularibus.* Non sint inter vos autem in potestatum, officiorumque dissimilitudine animorum dissidia, non contentiones, non simultates, non odia: *Quod si invicem*, vt præmonet Apostolus, *mordetis, & comeditis: Videte ne ab invicem consumamini.* Discordia enim maximas quasque res dilabi, ac penitùs frangi, nemo est, qui nesciat: *Induitè vos ergo*, liceat nobis Apostolica verba vsurpare, *sicuti electi Dei, Sancti, & Dilecti viscera misericordiæ, benignitatem, humilitatem, modestiam, patientiam, supportantes invicem, si quis adversus aliquem habet querelam: Sicut & Dominus donavit vobis, ità & vos. Super omnia autem hæc charitatem habete, quæ est vinculum perfectionis.* Neque tamen velimus, vos tantùm metipsis indulgeatis, vt dignam nominibus Vestris, & Ordine, cui nomen dedistis, vivendi rationem Vos inire credatis, quod vestris in Cœnobijs Deo vacatis, nisi etiam proximorum saluti, exterorum ædificationi, Catholicæ Ecclesiæ vtilitati solerter prospiciatis. Non ad hoc enim instituti estis à B. P. N. Francisco, vt vobis solis vivatis, sed magis, vt alijs proficiatis, vt Christi bonus odor vbique sitis, talibusque moribus in edito Ecclesiæ loco præfulgeatis, *vt is qui ex adverso est vereatur nihil habens malum dicere de vobis.* Hoc vos monet Regula, quam Domino promisistis, hoc Patrum, ac Majorum Nostrorum exempla, hoc denique singularis in Nos, Ordinemque Nostrum Sanctissimi Universalis Ecclesiæ Pastoris Clementia, quam in

Ad Tit. 2.

2. Timoth 2.

Galat. 5.


Ad Colos. 3.

Ad Tit. 2.

in dies promereri debemus illustribus prò ipsa Ecclesiæ operibus, gestisque præclaris, vt digni habeamur, in quibus tot, & tam specialia illius beneficia dignè, ac decentèr collocata reputentur. Hæc sunt Fratres Charissimi, quæ humilitas nostra æqui, bonique facit generatim Charitati Vestræ suggerere, vt nostro, quo Vos Paterno Amore complectimur, & vnicuique Vestrum decori, quantum cum Domino possumus, consulamus; Cætera verò, quæ nostris in Comitijs communi sunt consensione firmata, & quæ Nos specialitèr pro publico bono ducimus præscribenda, in alia encyclica nostra, Domino favente, accipietis. Intereà verò crebras ad Deum preces fundite pro longæva, prosperavè Sanctissimi Domini Nostri incolumitate, & sospitate, pro Christianorum Principum pace, & concordia, pro Eminentissimo Cardinali Protectore Nostro, & pro nobis tandem, qui Seraphicam Vobis impartimur benedictionem. Datum Romæ ex Nostro Aracœlitano Conventu nonis Junij millesimi septingentesimi vigesimi tertij.

Fr. Laurentius à S. Laurentio,
Minister Generalis.
Loco ✠ sigilli.

De mandato Suæ Paternitatis Reverendissimæ,
Fr. Antonius à Mazaria,
Secretarius Generalis Ordinis.



STATUTA

PRO UTRAQUE FAMILIA.

PROTESTATUR Capitulum Generale se profiteri, ac observare Regulam S. P. N. Francisci secundum suam omnimodam puritatem juxtà declarationes Nicolai III. & Clementis V. & si quis ausu temerario docere intentet, præcepta ipsius sub peccato obligatoria non esse, tanquam suspectus doctrinæ pravæ tractetur, & puniatur.

2 Renovatur pro Cismontana Familia, & ad Familiam extenditur Ultramontanam, Statutum Capituli Generalis Romani anni 1688. quo tolluntur omninò de medio quarti Lectores Theologiæ sub ijsdem pœnis, & clausulis in eo appositis, imò quantum ad Cismontanam Familiam statuitur, vt illicò auferantur.

3 Si Lector Jubilatus de numero alio æquali, aut potiori titulo gaudeat privilegijs, quibus vti Lector de numero gauderet, occupet locum ejus Lector antiquior de non numero, & ad privilegia tanquam Lector de numero admittatur, modo præfatus alterius titulus sit permanens perpetuusque; idemque esto si Lector aliquis Jubilatus de numero perpetuò abdicet se privilegijs suæ jubilationis.

4 Districtè injungitur, & in virtute Sanctæ Obedientiæ omnibus, & singulis Provinciarum Subditis, & Superioribus, vt servent, atque servari faciant Conventuum antiquos limites, & laudabiles secundum nationum vsus prò Eleemosynis colligendis, qui quidem limites si vspiam, aut prorsùs inversi, aut nondum stabilitèr firmati sunt, præcipitur itèm Diffinitorijs,

vel ejusdem; vel diversarum Provinciarum; prout nempè Conventus, vel ad eandem, vel ad diversas Provincias spectant, vt amicabililitèr inter se agant de præfatis limitibus assignandis, & injungitur si concordiam assequi nequeant, vt ad Superiorem Generalem vtrimque transmittant rationes suas, vtque demùm talium limitum compositiones à Diffinitorijs ejusdem, vel diversæ Provinciæ, aut à Superioribus Generalibus opportuno consilio adhibito sancitæ, ac demandatæ tanquam ex nunc prò tunc à Generali Capitulo ratihabitæ perpetuò observentur.

5 Minister Provincialis, etsi legitimè institutus, quacumque de causa nunquam exercitium inierit sui Ministeriatus, semper, & quoad omnia vltimum locum habeat inter illos, qui non modo fuerunt, vt ipse, Ministri legitimi Provinciales, verùm etiam sese in propriæ suæ Provinciæ gubernio exercuerunt; quod quidem Capitulum Generale in posterum servari præcipit, sine præjudicio gaudentium actu præcedentia sublata per legem hanc.

6 Si quis Guardianus mediatè, vel immediatè pecunias, aut schedulam pro pecunijs det suis Subditis, vel motivo indumentorum comparandorum, vel aliarum necessitatum succurrendarum, ipso facto à suo munere deponatur, & Minister Provincialis negligens infligere ipsi pœnam hanc per Superiorem Generalem omninò à suo Officio suspendatur.

7 Qui Guardiani sollicitam curam non gesserint Infirmorum, & in hoc charitatis, & Regulæ nostræ præceptum non adimpleverint, primùm à Provinciali Ministro seriò, ac publicè admoneantur, tum nisi à desidia resipuerint omninò Guardianatu priventur.

8 Ad vitanda jurgia, & dissidia ob Diffinitoratus Generales vacantes oriri nata, statuimus primùm, quod pro vtraque Familia aliàs statutum fuit, vt nimirùm Patres Ordinis in sua natione, & suo Ordine in vacantias hujusmodi subrogentur, illi scilicèt, qui fuerunt biennio, aut Procuratores Generales, aut Commissarij Romanæ Curiæ, aut Diffinitores Ge-

Cum per Constitutionem SS. D. N. Benedicti Papæ XIII. *Universalis Ecclesiæ regimini*, qui fuerunt Superiores Generales non ampliùs votum habeant, isti in sua Natione ante alios sunt subrogandi.

 ne-

nerales; qui quidem Patres, si apud nationem Diffinitoratus vacantis desiderentur, aut Diffinitoratus iterum vacet postquam per subrogationem ipsorum impletum fuit, tùm nullius alterius ante Capitulum, aut Congregationem subrogatio fiat, sed tantùm pro Generali, aut Congregatione, aut Capitulo substitutio, quæ, sicut dum Diffinitor Generalis subrogatus tantum est absens à Capitulo Generali, cadere debet in Ministrum, aut Vicarium, aut Pro-Ministrum, aut Custodem Provinciæ Diffinitoris Generalis subrogati absentis, ita quando Diffinitoratus Generalis est vacans cadere debet in eosdem Vocales non Provinciæ Diffinitoris Generalis subrogati, sed Provinciæ Diffinitoris Generalis electi, & si accidat, aut Diffiinitore Generali absente, aut Diffinitoratu Generali vacante, abesse à Generali Capitulo etiam Vocales illos, quos in casibus istis statuimus esse substituendos, tùm substituatur, qui est dignior Minister, seù antiquior Nationis suæ, & quatenùs non innotescat quis inter Nationis Ministros antiquior sit, substituatur demùm Minister Provinciæ antiquioris.

9 Si actualis Minister Provincialis eligatur in Officialem Romanæ Curiæ, non possit in posterum adire tale Officium, & exercere ipsum, nisi priùs cum effectu renuntiet suo Ministeriatui, & cum effectu Vicarius Provincialis in locum ipsius sufficiatur, definitur enim, & declaratur duo hæc munera in eodem esse incompossibilia.

10 Si Minister Provincialis sit vna Difinitor Generalis, & ad Generale Capitulum ipsi accedendum sit, non possit ad idem Capitulum Provincia mittere Pro-Ministrum, sed vnus, & idem vnum in illo suffragium ferat, vt Minister Provincialis, & vt Diffinitor Generalis.

11 Ubicumque impertienda sit benedictio, & aqua lustralis Fratribus aspergenda, si non adsit Pater Guardianus Conventus, non id præstetur à Patre digniori Communitatis, sed ab ejusdem Conventus Vicario si præsens sit.

Dum

12 Dum aliquis in Choro est incensandus, ille omninò præferri debet, qui sedem occupat digniorem: quamobrem existente in Choro Patre Ordinis, qui Guardianum, vel Ministrum Provincialem actu præcedat, non Guardiano, vel Ministro, sed Ordinis Patri honor incensationis adhibeatur.

Ex mandato SS.D.N. Benedicti Papæ XIII. auditis Ceremoniarum Apostolicarum Præfecto, & Ordinis Patribus

13 Absente Reverendissimo Patre Superiore Generali à residentia sua, Pater Minister Provincialis præcedat omnes Patres Reverendissimos quamvis majores se; & similitèr etiam Patre Ministro Provinciali absente à residentia sua, Pater Guardianus Conventus eodem pacto, & in eisdem circunstantijs præcedat eosdem Patres Reverendissimos.

14 Ministri Provinciales, qui ex legitima causa Capitulo Generali probata non accesserunt ad idem Capitulum Generale, dispensantur à pœnis pro hac vice contra non accedentes determinatis.

15 Institutio in Prædicatorem nemini concedatur, nisi vltra præscriptum Capituli Gener. Valisolet. 1593. quod indispensabilitèr observari præcipimus, sex vicibus saltèm concionatus fuerit in publica refectione, & testimonium habuerit à peritioribus, & Discretis de sua idoneitate ad munus hujusmodi exercendum.

16 Quod competit votum, quodque denuò confirmatur Procuratoribus Generalibus, sivè Ordinis, sivè Reformatorum, sivè Recollectorum, & Excalceatorum, Commissarijs Generalibus Romanæ Curiæ, Diffinitoribus Generalibus Ordinis etiam Excalceatis, & Recollectis in omnibus cujuscumque naturæ Diffinitorijs, Congregationibus, atque Capitulis suarum, Provinciarum, competere declaratur ipsis statim ac possessionem inierint respectivè prædictorum suorum Officiorum.

Abrogatum per Constitutionem SS.D. N. Benedicti Papæ XIII. *Universalis Ecclesiæ regimini* 16. Novemb. 1724. juxta quam habebunt tantùm jus subrogandi, vt Patres Ordinis ante omnes Patres Provinciæ, statim ac electi sunt

17 Confirmatur, & extenditur ad vtramque Familiam, etiam quantum ad Reformatos, Recollectos, & Excalceatos Statutum illud de Diffinitoribus Generalibus, quod in Generali Capitulo anno 1700. confectum fuit, quodvè conceptis verbis est thenoris sequentibus: *Insistendo declarationi authenticæ, quam circa*

præcedentiam ex Diffinitorum Generalium, & ex Ministrorum Provincialium (perpensis, & examinatis Statutis antiquis, & illo de anno 1639. consilioque habito aliquorum gravium Ordinis Patrum) fecit Reverendissimus Pater Bonaventura Poerius tunc temporis Minister Generalis pro Ex-Diffinitoribus Generalibus, & ad cujus sententiæ executionem Apostolicas suas litteras expedivit Sanctissimus D. N. Innocentius Papa XII. incip. Ex parte Dilecti, &c. *sub data 14. Kal. Junij 1696. statuitur ex Diffinitores Generales, qui ante non fuerunt Ministri Provinciales præcedere debere non solum ex Ministros Provinciales, qui post Diffinitoratus munus expletum ad Ministeriatum sunt promoti, seù Ministros futuros, sed etiam illos, qui ante electionem, vel promotionem Diffinitorum Generalium ad Ministeriatum electi, vel assumpti fuerunt.*

18 Statuitur Bononiæ Civitas in Insubria in locum pro Generali Capitulo proximè celebrando.

19 De omnibus Postulatoribus Causarum nostrorum Servorum Dei apud Apostolicam Sedem Observantibus, Reformatis, Recollectis, & Excalceatis decernitur nullam eos expensam posse facere, nisi approbantibus respectivè, vel Superiore Generali, vel Curiæ Officialibus juxta nationem suam, schedulæque ipsorum ad Syndicum Apostolicum nullius valoris sint nisi respectivè, vel Superioris Generalis, vel Officialis Curiæ Chirographo consignentur, moneanturque Syndici Apostolici, quod prædictæ schedulæ in rationes Causarum non inferentur, nisi præfato respectivè Chirographo fuerint validatæ.

20 Gratiæ aguntur Eminentiss. Domino D. Cardinali Laurentio Corsino Nostro Protectori, quod opera, & eleemosynis egregiè promoverit, & adjuverit istud Capitulum Generale. Gratulatum etiam fuit Reverendissimo P. Fr. Josepho Garciæ, quod multam impenderit operam eidem Capitulo Generali.

PRO

21 QUoniam ex infractione silentij nocturnis horis, quod sub præcepto Sanctæ Obedientiæ per constitutiones Segovienses mandatum est, in Religiosis vltramontanæ Familiæ scrupuli exoriuntur, Capitulum Generale concedit ejusdem Familiæ Ministris Provincialibus, vt tale præceptum mutare valeant in aliam pœnam temporalem, sed taxandam ab ipsis de consensu Provincialis Capituli, & promulgandam.

22 Si quis Ordinis nostri Lector, vel actù obtinet, vel in posterum obtinebit in vniversitate Majoricensi Cathedram publicam Theologiæ, tempus, quod insumet in ipsa vltrà consuetos annos duodecim ad jubilandum, non computetur penitùs ei ad vlteriorem vllam prærogativam.

23 Ad petitionem octo Provinciarum Excalceatarum ad Lusitaniam pertinentium, quæ postularunt, vt decerneretur vnum Diffinitorem Generalem assumi ex ipsis: Propterea statuit Capitulum Generale illam non esse audiendam, quod eædem Provinciæ à Diffinitoratu Generali pertinente ad suam nationem exclusæ nequaquam sint.

24 Cum Provinciæ vltramontanæ Familiæ juxta suorum Conventuum necessitatem, instabunt ad tenorem Statuti victoriensis anni 1694. vt sua Missarum onera pro eleemosynæ merito imminuantur, injungitur Patri Commissario Curiæ, vt sedulò curet ipsas, agatque apud Sanctam Sedem, quantum fieri poterit, vt rescripta tanti momenti petentibus concedantur.

25 Supplicante Provincia Cantabriæ, vt declaretur quodnam sit specimen gubernij commendabilis exigitum, vt in Provincialem Ministrum eligi quisquam possit, & an etiam Diffinitores Provinciales, necnon Custodes, & Lectores Jubilati sub hoc prærequisito comprædhendantur: Statuit Capitulum Generale tale specimen esse Guardianatum ad minus exercitum per duos

annos,

annos, & etiam præfatos sub obligatione hujus specimi-nis comprehendi.

26 Reprehenditur Provincia Canariensis propter loquendi modum, quo in dubijs, & petitionibus Capitulo Generali porrectis vsa fuit: Non enim habent Provinciæ jus Constitutionibus Generalibus (vt ipsa loquitur) contradicendi, sed habent tantummodo supplicandi.

27 Eadem instante Provincia Canariensi, vt sibi adjudicetur Conventus Sanctæ Mariæ de Jesu situs in Luciferi Fano, quod San-Luchar indigenis appellatur, qui quidem Conventus à Provincia Bæthica Observantium jam à duobus, & vltra sæculis possidetur, Capitulum Generale re maturè considerata decernit Provinciam Bæthicam in possessione prædicta tenendam esse, & Provinciam Canariensem in puncto isto non ampliùs audiendam.

28 Considerato per Generale Capitulum labore Vocalium Canariensium, dum ad ipsum accedunt in his cismontanis partibus celebrandum, ad eosdem extendit omnia Privilegia concessa in Capitulo Toletano anni 1658. Indiarum Custodibus, & Pro-Ministris ad quodcumque Generale Capitulum accedentibus, dummodo quantum ad Pro-Ministros conditiones habeant Canarienses, quæ pro Pro-Ministris Indiarum ad obtinenda Privilegia antedicta in Romano Capitulo anni 1700. fuerunt determinatæ.

29 Expenso libello supplici P. Fr. Eusebij Gonzalez de Torres, Chronologi Generalis prærogativas petentis in Cismontana Familia hujusmodi Chronologis attributas; Capitulum Generale intuitu laborum ejus illa Privilegia dumtaxat concedit ipsi, quæ per leges vltramontanas pro Jubilatis taxata sunt, qui duos Tomos Theologiæ in lucem publicam emiserunt.

30 Extenditur ad Ultramontanam Familiam Statutum hujus Cismontanæ Familiæ, quo cautum fuit, vt elapso triennio, & semestri à Capitulo vltimo Provinciali, atque adeò tunc Diffinitorio, & Guardianis activa voce pro insequenti Capitulo destitutis, per Superio-

rem Generalem omnibus; & singulis restitui possit præfata vox, de consilio, & consensu graviorum Provinciæ Patrum, in qua tunc temporis existere accidet eumdem Superiorem Generalem.

31 Statuitur de Concionatoribus Catholici Regis, quod concurrentibus conditionibus per Constitutiones Generales exigitis, non gaudeant privilegio Patrum Provinciæ ex illo munere concionandi, nisi sexennio integro ipsum opere exercuerint.

32 In Causa Provinciarum Angelorum de Observantia, & Sancti Gabrielis Excalceatorum, vtra scilicèt habeat majorem proximitatem ad Curiam Matritensem, & quænam propterea vocanda sit ad Generales Congressus Matriti habendos, ad tenorem Constitutionum viciniores Provincias designantium, statuitur Provinciam Angelorum manutenendam esse in possessione, quam ad vocari pro congressibus antedictis obtinuit vsque hùc, interimque partes ante Generale Capitulum immediatè futurum ostensionem facere satagant prætensæ majoris proximitatis.

PRO GALLIS.

33 CUM ad notitiam pervenerit Capituli Generalis in Provincia Sancti Antonij in Arthesia abusum invaluisse, quod scilicèt Superiorissæ suorum Monasteriorum in officio sine termino vllo continuantur; Statuit idem Capitulum Generale, quod tàm in memorata Provincia, quàm in omnibus alijs præfatæ Superiorissæ triennales dumtaxat sint, aut sexennales ad summum accedente opportuna dispensatione: Electionesque ipsarum vltra triennium irritas, atque nullas declarat esse habendas, & judicandas, mandatque Superioribus, quorum muneris illud erit, ne eas audeant ratas habere, & confirmare.

34 Ad supplicationem Provinciæ Turoniæ Pictaviensis, petentis à Generali Capitulo Novitiatuum imminutionem, quos obtinent in eadem Provincia Con-

ventus Recollectionis, necnon translationem de vno Conventu ad alium quorumdam aliorum ad eam paritèr pertinentium; Decernit Capitulum Generale, vt Provincia ipsa vtatur jure suo quo ad vtrumque hoc, imo & vti præcipit, si reverà cessurum sit in publicam suam vtilitatem.

35 Lecta Epistola Serenissimi Ducis Lotharingiæ postulantis, vt Custodia Sancti Nicolai sita in Dominijs suis in Provinciam per Generale Capitulum erigeretur, statutum fuit, quod cum septem Conventus dumtaxat habeat, & Ordinis Constitutiones exigant ad minus duodecim, vt ad erectionem Provinciarum liceat devenire, deputetur à Reverendissimo Patre Ministro Generali Rev. P. Fr. Joseph Paticier, Pater Provinciæ Franciæ Parisiensis, qui de statu illorum Conventuum informationem sumat, sicut & de numero existentium in illis Religiosorum, insterque pro multiplicatione Conventuum apud suam Regiam Celsitudinem, ac demùm curet de omnibus rationem reddere Congregationi proximæ Generali, vt de istius erectione Provinciæ in obsequium Regij Principis vltimò resolvatur.

36 Statuta Familiæ Ultramontanæ pro Custodum privilegijs in Ultramontano ipsis Generali Capitulo suffragantium decernit Generale Capitulum etiam pro Custodibus Provinciæ Franciæ Parisiensis, executioni mandanda esse.

37 Admittitur protestatio Provinciæ Brittaniæ Recollectæ, contra Provinciam Sanctæ Mariæ Magdalenæ paritèr Recollectorum, quoad Conventum, & Hospitium San-Macloviense, & vt constet de ipsa, præcipitur inseri Actis Capitularibus.

38 IN Causa Provinciarum Sancti Andreæ, & Flandriæ de Conventibus nimirùm inter vtramque controversis, referente Reverendissimo Patre Commissario Generali Ultramontano, fuit repræsentatum Ministrum Flandriæ judicium Diffinitorij, quantum ad votum ab eodem ferendum apud Sacram Congregationem, subterfugisse, motiva incognita allegantem, quare eidem Diffinitorio non proferat rationes suas, & super hoc decrevit idem Diffinitorium repræsentandum esse eidem Sacræ Congregationi, quod Minister Flandriæ ob motiva Diffinitorio ipsi (vt asserit) non prodenda noluerit coram illo rationes producere pro sua Causa; Votum tamen dandum eidem Sacræ Congregationi decretum fuit istud debere esse, nempè Conventus, de quibus lis excitatur, in statu relinquendos esse, in quo sunt, quod idem decretum fuit à postremo Capitulo Generali.

39 Quoniam Diffinitorum Generalium Officia ideò in Nationes fuerunt providè distributa, vt in Congressibus Generalibus negotia curare possint, quæ suæ Nationis sunt, declaratur tales Diffinitores ad Nationem Germano-Belgicam pertinentes, ex Provincia Sancti Andreæ Recollectorum eligi nequaquam posse, cum hæc à multis jam annis præfatæ Nationis Regimini, & Corpori se subduxerit, seque ipsam inter Galicanas Provincias posuerit, & permaneat.

40 Protestationes Provinciæ Flandriæ Recollectorum adversus ablationem plurium Conventuum ab eadem injuria avulsorum, & Provincijs partim Sancti Andreæ, partim Sancti Antonij in Arthesia applicatorum: item Provinciæ Sancti Andreæ contra Provinciam Sancti Joseph in Comitatu Flandriæ Conventus Aldenardensem, & Cortracensem, qui spectaverunt olim ad illam; occupantem: rursus præfatæ Provinciæ Sancti Joseph adversus Provincias Sancti Andreæ, & Sancti Antonij in Arthesia contra jus multos suos Religiosorum, &

Sanctimonialium Conventus detinentes: Similiter Provinciæ Argentinensis, contra Provinciam Coloniensem habentem Conventus Lutrensem, Crucenacensem, Oppenneimensem, & Flaidelbergensem, ad Provinciam, quæ eos repetere instat, primitus pertinentes; & tandem Provinciæ Sancti Antonij in Arthesia adversus præmemoratam Provinciam Sancti Joseph tanquam Conventus Gravelinganum, Casletensem, & Dunkercanum, quia sibi (vt ait) authoritate Ordinis traditos, indebitè repetentem: has igitur protestationes, ideò Capitulum Generale inferi præcipit istis actis, vt de ipsis, & vt per ipsas constet Ordini Universo, quibus agitationibus, atque inconvenientibus Provinciæ pateant, si antiqui earum limites sine authoritate legitima transferantur. Declarat proindè se præmissas distractiones Conventuum, Monasteriorum, Residentiarum authoritate incongrua factas nullatenùs approbare, mandatque in virtute sanctæ obedientiæ, vt cum primum licebit per Principes sæculares respectivè suis Provincijs omninò omnia restituantur; exceptis Conventibus Aldenardensi, & Cortracensi, si vltrò Provincia Sancti Andreæ concesserit eos Provinciæ Sancti Joseph in sua primæva institutione; & exceptis similitèr quos à Provincia Coloniensi restitui sibi postulat Provincia Argentinensis, si Dominus habens jus patronatus in ipsos, disposuerit eos Coloniensi Provinciæ addictos esse.

41 Pro eadem Natione statuitur etiam hoc, vt nempè Custodes, & Pro-Ministri ad Generalia Capitula accedentes, privilegijs, & præcedentia gaudeant post habentes Votum in Capitulis Provincialibus, & post Lectores Jubilatos, dummodò requisita concurrant in præfatis Custodibus, & Pro-Ministris, quæ per Ultramontana Generalia Statuta ad prærogativas ejusmodi postulantur.

42 Strictè injungitur Subditis, & Superioribus Provinciæ Argentinensis, ne excursus, vel faciant, vel permittant ad eleemosynas in Provinciæ Bohemiæ terminis colligendas, & qui secùs fecerint possint per opportunos recursus, & juris, & facti remedijs coerceri.

PRO

PRO INDIS.

43 IN ſingulis Provincijs novæ Hiſpaniæ, atque Pervani Regni inſtituatur vnus, vel alter Linguarum Lector pro vtilitate Miſsionariorum, qui poſt exactos duodecim annos in hujuſmodi Lectoratu privilegijs gaudeant Concionatorum ſexennalium.

44 Qui per omnes antedictas Provincias Novæ Hiſpaniæ, atque Pervani Regni in Parochijs actualium converſionum extiterint Parochi duodecim annis, gaudeant omnibus Concionatorum Generalium prærogativis.

45 Decernitur alternativam Provinciæ Limanæ duodecim Apoſtolorum, quæ inter Miniſtros, & Cuſtodes ipſius fuit jam introducta, etiam ad ejuſdem Cuſtodes, & Pro-Miniſtros, qui deſtinandi erunt ad Generalia Capitula, extendendam.

46 Confidens Generale Capitulum, quod Reverendiſsimus Pater Commiſſarius Generalis Indiarum, quantum ad Viſitatores Provinciæ S. Helenæ in Florida, & quantum ad Præſidentes Capitulorum ipſius pro conſcientia ſua acturus ſit, relinquit arbitrio ejus, vt ex alijs Provincijs non evocentur, ſi id eſſe cognoverit è præfatæ Provinciæ vtilitate.

47 Quoad alternativam in Provincia Sancti Evangelij de Mexico ſtabilitam, & nunc ad controverſiam denuò revocatam, citentur partes idoneæ ad proferendas in invicem rationes ſuas.

48 Capitulum Generale perpenſis ſupplicationibus Provinciæ Aſſumptionis de Paraguay, decernit ad primum, non poſſe Provinciam eximi à conſuetis expenſis, quantum Provinciæ vires eas præferre poſſunt. Ad ſecundum, Capitula Provincialia de triennio in triennium celebrari debere, vt juris, & moris eſt. Ad tertium, concedi poſſe ex eadem Provincia Commiſſarium Viſitatorem, niſi aliquando Reverendiſsimo Patri Commiſſario Generali Indiarum videatur ex alia

deſti-

destinandus. Ad quartum: quoad Lectores actuales Sacræ Theologiæ in Guardianos (vti petitur) eligendos, servari oportere Constitutiones Generales id fieri prohibentes.

PRO EXCALCEATIS.

49 ALternativam in Provincia Immaculatæ Conceptionis in Brasilia inter Lusitanos, & Brasilianos ipsius Provinciæ consensu inductam, ac novissimè Sanctissimi Domini Nostri Innocentij PP.XIII. Litteris confirmatam, Capitulum Generale sic admittit, vt injungat omnibus futuris temporibus mandari executioni, nullumque ejusdem Provinciæ Alumnum eidem nullatenùs refragari.

50 Cum SS. D. N. Innocentius PP. XIII. Provinciæ Sancti Antonij in Lusitania indixerit alternativam per Breve suum ab eadem Provincia jam acceptatum, voluit Capitulum Generale innui Breve hujusmodi in actis istis, ejusque perpetuam observantiam eidem Provinciæ imperari.

51 Quoniam Provinciarum Excalceatarum, non modò Indiarum Occidentalium, & Orientalium, verùm etiam Hispaniæ, & Lusitaniæ Custodes, & Pro-Ministri ad Generalia Capitula accedentes, quia eosdem, quos cæteri, anfractus, atque labores adeunt, digni etiam sunt, vt æquè, ac cæteri remunerentur, Generale Capitulum extendit quoque ad ipsos omnes, & singulas prærogativas, quæ hoc intuitu Pro-Ministris, & Custodibus Provinciarum Observantium respectivè pro distantijs antedictarum Regionum taxatæ sunt sub ijsdem tamen conditionibus pro Observantibus ad eas prærequisitis, quamvis idem Capitulum Generale pro hac vice tantum dispenset super conditionibus istis, si fortè aliquis Pro-Ministrorum, & Custodum Excalceatorum eas non plenè habuerit, vt in memorandum omnium beneficium redundet clementia summa per SS. D.N. Innocentium PP. XIII. eidem Generali Capitulo impertita.

Re-

52 Residentia ordinaria Admodùm Rev. Patris Procuratoris Generalis Excalceatorum Hispaniæ, & Recollectorum Galliæ statuitur in Conventu Romano Sanctæ Mariæ de Ara Cœli; cumque alternis ijdem Recollecti, & Excalceati Procuratores, & Secretarij agere debeant, adeò vt dum Procurator est Excalceatus, Secretarius sit Recollectus; propterea sicut pro Recollectis Procuratoribus, & Secretarijs Domicilium inservit, quod ad eorum Agentes antiquitus pertinebat in Conventu præmemorato, ità pro Excalceatis Procuratoribus, & Secretarijs in eodem Conventu assignatur Domicilium illud, quod situm est à regione mansionum spectantium ad Terram Sanctam, adeò vt ab Hispanis dumtaxat Procuratoribus, & Secretarijs Excalceatis, ex quacumque demùm Hispana Provincia eos contigerit eligi, debeat inhabitari.

PRO CISMONTANA FAMILIA.

53 Lecturas Phylosophiæ, ac Theologiæ à Provincijs conferri solitas, statuitur, vt per oppositiones, seù concursus indispensabilitèr conferantur, adeò vt Judices sint Pater Minister Provincialis, actuales Patres Diffinitorij, qui aut Jubilati, aut sexennales, vel actualis Lecturæ Theologiæ sint, Patres Ordinis, & Patres Ex-Provinciales Jubilati similitèr, vel sexennales, & duo antiquiores Patrum Jubilatorum, atque in deficientia alicujus è Diffinitorio, cui nimirùm conditiones hujusmodi non assistant, ipsorum loco actuales totidem Lectores Theologiæ in Judices advocentur, & quotiescumque dato tali defectu contingat hos paritèr desiderari, eorum loco totidem alij, qui Theologiam docuerint, assumantur.

54 Modus autem istarum oppositionum, seù concursuum erit sequens. Omnibus oppositionibus habitis Judices congregabuntur, primumque collatione sedulo habita de concurrentium habilitate, jurabunt singuli tacto pectore more Sacerdotali, quod judicium

de

de ipsis secundum suam conscientiam laturi sint. Tum intra mensuram dumtaxat punctorum decem, incipiendo ab vltimo Judicium puncta singuli oretenus palam ferent, quæ censuerint singulorum concurrentium merito convenire, hisque per Secretarium scripto exceptis, & adnotatis, ac demùm in summam actis, ità præferentur ad Lecturas, qui punctis prælati deprehendentur, vt incidente paritate punctorum, antiquior habitu sit alijs anteponendus, vtque punctis quo ad aliquem concurrentem non excedentibus medietatem numeri summi, id est conflati ex punctis decem Judicum singulorum talis concurrens ad Lecturam inhabilis declaretur, & ad iterandum concursum non amplius admittatur.

55 Ad conservandam Studio Aracœlitano de Urbe, quam obtinuit semper specialem aliquam dignitatem, reservatur arbitrio Superioris Generalis, vt Artium Lectura in illo functum, etiam sine vllo concursu prævio, Lectorem Generalem instituere possit in quolibet Studio Generali, licèt si reperitur in propria ipsius Provincia Lecturæ locus, eidem Superiori, vt præfatum Lectorem ad illam, & non ad alium destinet, enixius commendantur.

56 Studiosi omnes Clerici, & Sacerdotes in suis respectivè Provincijs ad Studia detineantur exceptis ob deficientiam Studiorum Provincijs Ultramarinis, exceptisque quatuordecim Sacerdotibus, & sex Clericis ad hoc Studium Aracœlitanum ex alijs Provincijs evocandis; statuimus enim studium istud constare debere duodecim Clericis in Professorio ejusdem operam dantibus Phylosophiæ, quorum sex sint ex Provincia Romana, & sex ex alijs, vt modò decretum fuit, & constare item debere Sacerdotibus vigintiquinque vacantibus Theologiæ, quorum septem sint ex eadem Provincia Romana, quatuor ex Provincijs quatuor Sancti Ladislai, Poloniæ minoris, Russiæ, & Poloniæ majoris, & quatuordecim demùm ex alijs Provincijs ad istam Familiam pertinentibus.

57 Studia Theologiæ dicta secundæ Classis redu-

cun-

tuntur, vt olim ad duos Lectores tantum, atque adeò qui primo vacabit in ipsis Lecturæ locus vacuus relinquatur; sublata Generali Ministro facultate alitèr providendi.

58 In Studijs primæ Classis Romæ, Neapolis, Sancti Didaci, & Sanctæ Mariæ Novæ Mediolani, Venetiarum, Florentiæ; Genuæ, Panormi, Messanæ, Taurini, Bononiæ, Perusiæ, Anconæ, Litij, & Lucæ, deputet Superior Generalis ad legendas Fidei controversias vnum ex actualibus tribus Lectoribus approbatis.

59 Nullus admittatur ad oppositionem pro Cathedra Theologiæ, nisi adimpleverit triennium solare Lecturæ Phylosophiæ, & quantumlibet ingenio præstans nullus ad Lecturæ concursum recipiatur, nisi reverà moribus probatus sit.

60 Cum singulis mensibus Conclusiones, quas dicunt Mensiles, haberi debeant, teneantur Lectores mittere ad Superiorem Generalem testimonium Diffinitorij, quod respectivè Conclusiones istas habendo impleverint munus suum, aliàs ab eodem Superiore Generali à Lectura prorsùs amoveantur.

61 In Studijs non habentibus Studium primæ Classis, sufficiat ad jubilationem legisse tempore debito in Studio secundæ Classis.

62 Lectores actuales Phylosophiæ, & Theologiæ à Provincijs juxtà Constitutiones Generales institui soliti, à suis Lecturis amoveri possint ab integro Diffinitorio in Capitulis, & Congregationibus tantùm, & à Superiore Generali etiam extra præfatum tempus, modò causa interveniat eidem Superiori Generali cognita, & respectivè ad talem effectum cognita integro Provinciæ Diffinitorio, sed ipsi Lectori amovendo non necessariò manifestanda.

63 Studia Generalia recens erecta vna cum antiquis in Provincijs omnibus confirmantur, & quatenùs opus sit, virtute præsentis Statuti denuò, eriguntur.

64 In Provincia Sancti Patris Nostri Francisci Studium Generale secundæ Classis, quod in Conventu

Tipherni extitit à multis annis, transfertur Perusiam per Capitulum Generale, ibique in Conventu Sancti Hieronymi collocatur. Ad Conventum Catanensem in Provincia Siciliæ transfertur aliud secundæ Clasfis, quod nunc in Conventu Hadranensi existens est. Et in Provincia S. Angeli Studium item secundæ Clasfis, quod ad Conventum Pietatis Luceriæ translatum fuerat, Conventui S. Mariæ Gratiarum Campibasfi denuò restituitur.

65 Si Lectores actuales, tàm futuri, quàm existentes de quorumcumque Superiorum vel permissu, vel jussu, etiam ad negotia Ordinis, vel Provinciæ, aut jam distracti fuerunt, aut in posterum distrahentur, tempus, quo cum effectu, aut non vacaverunt, aut non vacabunt deinceps Lecturæ suæ, computetur ad Jubilationem eisdem tamquam non interruptum, sed non computetur tamquam realitèr adimpletum.

66 In Provincia Rusfiæ studium Theologicum Lublinense erigitur in Studium secundæ Clasfis: In Provincia Poloniæ Majoris Studium Generale Posnaniense constituitur primæ Clasfis: Et in Provincia Dalmatiæ transfertur Justinopolim Jatrense Studium, & Generale secundæ Clasfis statuitur, & declaratur.

67 In vnoquoque Studio Generali collocentur de Familia duo saltèm Lectores Jubilati, sive de numero, sive non, quorum alter arbitrio Superioris Generalis semper, aut præfectus, aut vicem gerens Præfecti sit.

68 Fiat à Reverendisfimo Patre nostro Ministro Generali tabula omnium Lectorum Generalium, vt in Capitulis Generalibus vsus obtinuit eam confici, posfitque pro hac vice formare ipsam eos removendo, confirmando, transferendo, instituendo, prout nimirum censuerit expedire.

69 Statutum Generale concedens Patribus Guardianis præcipuorum Conventuum, si biennio continuò fungantur hujusmodi munere, certas quasdam prærogativas, declaratur suffragari debere Guardianis Sancti Francisci Lucæ, cum inter Conventus præcipuos veniat numerandus.

70 Conceditur Provinciæ Bosnæ Argentinæ, vt in Conventus posit erigere residentias, quas obtinet in Territorijs Themesvarino, & Belgradensi, nempè Foelduarinensem, Tolnensem, Czernichinensem, Moachsinensem, Uvalcovarinensem, Themesvarinensem, & Belgradensem, modò collocentur de Familia saltèm duodecim Fratres in vnaquaque.

71 Ministris Provincialibus Austriæ, Bohemiæ, Bavariæ commendat Generale Capitulum Provinciam Bulgariæ, vt scilicèt aliquot Sacerdotes linguæ Germanicæ, Bohemicæque peritos, & ad laborandum in Vinea Domini aptos, & inclinatos ad præsentiam Patris Ministri ejus mittere non graventur, qui post navatam proximorum saluti, & Fidei Catholicæ operam, aut ad proprias annuente præfato Ministro reverti poterunt, si voluerint, aut antedictæ Provinciæ accedentibus opportunis consensibus, & duorum annorum experimento, etiam à die habitus incorporari.

72 Committitur Reverendissimo Patri Ministro Generali, vt pro Provincia Albaniæ opportunum Ministrum eligat, ad eamque transmittat toties, quoties opus sit.

73 Singulæ Observantium Provinciæ Terræ-Laboris, & Principatus Provincijs finitimæ, quæ propterea ex Statutis Generalibus mittere suos ad eas possunt; decernitur ne vno, & eodem tempore mittant Neapolim plusquam tres, & ne mittant nisi ad negotia Conventuum, & Provinciarum, vt ijsdem Statutis cautum est; imò injungitur, vt etiam à tribus abstineant transmittendis, quotiescumque plura negotia vel ab vno, vel à duobus commodè tractari posint, tribusque ad summum, vti præmissum est, Neapoli jam degentibus, omninò ipsis vlteriora negotia, quæ ingruant, committantur; aliàs, & qui accesserint ad negotia publica vltrà tres, & qui ad negotia tantùm privata fuerint destinati, & qui ex tribus ipsis concessis non in Conventu Neapoli vitam ducent, & Apostatæ sint, & Apostatæ habeantur, scriptisque in Apostatas pœnis omninò subjiciantur.

 Elec-

74 Eleemosynæ, quæ Concionatorum laboribus acquiruntur, tantummodò in servitium publicum Provinciarum, & ad vnicum quidem totius Diffinitorij placitum insumantur.

75 Guardiani expensam decem aureos excedentem, non impetrato priùs Diffinitorij consensu facere nequaquam possit, & qui contrafecerint, vltra Statutarias pœnas, ad ejusdem Diffinitorij arbitrium puniantur.

76 Religiosi omnes degentes extrà Provincias suas, sine individuali, & expresso permissu Superioris Generalis, confestim ad proprias revertantur; & quatenùs huic mandato eorum aliquis non obtemperet, qui Clerici, & Laici sunt declarantur Apostatæ, & ipso facto à Divinis, qui Presbyteri fuerint, suspenduntur.

77 Lecto libello supplici R. P. Fr. Hieronymi à Monte-Fortino, Reformatæ Provinciæ Romanæ Patris super summa Theologica subtilis Doctoris Nostri ab eodem juxtà summam Doctoris Angelici concinnata; statuitur vt imprimatur primus Tomus expensis Religionis.

78 Declaratur Provinciam Excalceatorum Sancti Petri de Alcantara in Regno Neapolitano gaudere voce activa, & passiva ad omnia, sicuti aliæ Provinciæ omnes in nostro Capitulo Generali.

79 Minister Provincialis, qui in aliena Provincia tali Officio functus fuit, redux ad propriam in omnibus sit illi posterior, qui biennio in propria fuit Vicarius Provincialis.

Abrogatum per Constitutionem SS.D. N. Benedicti Papæ XIII. Universalis Ecclesiæ regimini 16. Novemb. 1724.

80 Cum Litteris Apostolicis SS. D. N. Innocentij PP. XIII. concessum fuerit Vice-Commissarios Generales Observantium, & Reformatorum gaudere Privilegijs suorum respectivè Officiorum, quamvis non permanentes in ipsis, nisi vsque ad hoc Capitulum Generale, non absolverint integrum tempus ad id exigitum per Ordinis Constitutiones; decretum fuit, vt referretur hoc annuendo in Tabulas Capitulares.

81 In gratiam Sanctissimi Domini Nostri, qui præsidere

dere in hoc Generali Capitulo dignatus est, vt etiam Pro-Ministri, & Custodes hujus Cismontanæ Familiæ percipiant aliquod emolumentum, inhærendo benignitati Sanctitatis Suæ, qui nos omnes favore amplissimo cumulavit, statuitur prædictos Custodes, & Pro-Ministros, tám Observantes, quàm Reformatos debere gaudere pro hac vice privilegijs illis, quæ si accessissent ad Generale Capitulum vltra montes, ex Constitutionibus Ordinis percipere debuissent.

82 Lecto libello supplici Monialium S. Claræ Locopolis in Carniola, quo petunt aggregari Ordini nostro quantum ad beneficia spiritualia, aggregantur vti desiderant, quamvis eidem Ordini nequaquam subjiciantur.

83 Nullus Concionator titulo, & præeminentijs clarissimi decoretur, nisi suggestis emensis, quæ Congregatio Romana 1679. ad istud determinavit; & dum insigniores Collegiatæ admittuntur pariter ad hunc effectum, de illis Collegiatis id erit tantum intelligendum, quæ sitæ sunt vbi ad minus in duabus Ecclesijs per quadragesimam quotidie concionatur.

84 Conceditur facultas Patri Ministro Bulgariæ, vt ad Provincias etiam non finitimas mittere possit Alumnos suos ad præsentiam nimirum Ministrorum Provincialium, qui assignent ipsis in studijs suis collocationem, subministrentque indumenta, & per Superiores Locales alia necessaria, adhortaturque Capitulum Generale, tàm illarum Provinciarum Ministros, qui charitatem hanc eisdem hactenus impenderunt, quàm alios, ad quos Religiosi prædicti in posterum destinabuntur, vt eos benignè recipiant, curentque sedulo erudiri.

85 Ad petitionem Patris Fratris Bernardini à Vulsinio prætendentis titulos admodùm Reverendi, & Lectoris Arabici Jubilati, necnon præcedentiam suprà Lectores de non numero Jubilatos, ratione suæ Lecturæ Arabicæ, exercitijque Apostolici Missionariatus; decernitur primum titulum non convenire ipsi, secundum non esse in Ordine vsitatum, & antela-

relationem suprà Lectores prædictos non debitam ei esse.

86 Dum Alumnus vnius Provinciæ in carceribus alterius Provinciæ detinetur, teneatur Provincia, cujus Alumnus est, tot Sacra legere in levamen Conventus, in cujus carceribus custoditur, quot erunt dies detentionis illius, atque sustentationis.

87 Ad subveniendum Provinciæ Albaniæ pro necessarijs indumentis, statutum fuit, vt solvantur quot annis in favorem ipsius centum aurei, à reliquis observantiæ Provincijs pro rata subministrandi, atque hi colligentur prout disposuerit Superior Generalis, & ad nutum ipsius, prout expedire dignoverit, expendentur.

88 Quantum ad præcedentiam inter Ex-Custodes, Ex-Diffinitores, Lectores Generales, & Lectores Jubilatos serventur respectivè consuetudines Provinciarum.

89 Cavetur sub nullitate electionis, vt nullus eligatur in Custodem, aut Diffinitorem, nisi aut sit Lector Jubilatus, aut Guardianus extiterit per sexennium, aut in Domibus principalioribus nimirùm Studiorum Generalium, & Novitiatuum ad minus per completum quadriennium, aut Lector sexennalis triennio functus Guardianatu, aut sexennio Magister Novitiorum, & triennio Guardianus, aut Concionator clarissimus cum triennio Guardianatus, aut triennio Guardianus, & triennio Provinciæ Secretarius, aut Lector Generalis actualis habens sexennium Lecturæ Generalis. A qua tamen lege ob Fratrum paucitatem Provinciæ Ultramarinæ excipiuntur, sicut etiam, qui actu inserviunt in Officio amanuensium Superioribus Generalibus, aut inservierunt, & quo ad hoc sub antiquis tantummodò legibus conservantur.

90 Motis dubijs circa ex Secretarios Generales Primò, an sufficiat ipsis explevisse biennium, vt privilegijs frui possint, & triennium Secretariatus tantummodò inchoasse; Secundò, an privilegijs suis in proprijs duntaxat Provincijs gaudere debeant, an etiam in alijs om-

tibus; Tertiò, an præcedentiam in alijs, & proprijs habere debeant supra Lectores de numero Jubilatos: decisum fuit per Capitulum Generale, imò de novo etiam statuitur quatenus opus sit: ad primum, sufficere ipsis ad privilegia triennium tantummodò inchoatum: ad secundum, eosdem gaudere debere privilegio præcedentiæ etiam extra Provincias proprias, vltimum tamen ibi tenendo locum suæ Cathegoriæ: ad tertium, eis debitam esse præcedentiam supra Lectores Jubilatos de numero, non modo in Provincijs proprijs, sed etiam in alienis.

91 Ad Jubilationem assequendam Lectores Generales dictent omninò duodecim continuos annos Theologiam vltra triennium præviem Philosophiæ, & Lectores Provinciales Theologiæ, vt aggregationem ad illos, qui fuerunt Diffinitores obtineant, post dictatam triennio Philosophiam dictent etiam octo continuos annos Theologiam; quod quidem statuitur non de Lectoribus actualibus Theologiæ, qui nunc in Studijs, sivè Generalibus, sivè Provincialibus eam dictant, sed de illis, qui post publicationem Statutorum istorum in ijsdem Studijs Theologiæ Lectores instituentur. Et de omnibus Lectoribus istis, tàm præsentibus, quàm futuris injungimus, vt quoties, vel Concionibus, vel itineribus, vel rebus alijs incumbendo, aut Theologiæ, aut Philosophiæ Lecturam interpolabunt, tot diebus arithmeticè omninò eadem supplere debeant, quot ipsam realitèr, & cum effectu, infirmitatibus dumtaxat exceptis, non exercuerint, & Jubilationes, atque aggregationes prædictæ in posterum nullæ erunt, si non cum præfato supplemento arithmetico fuerint impetratæ.

92 Supplicetur Sanctissimo ab Officialibus Curiæ pro moderatione Privilegiorum Missionarijs, eorumque Procuratoribus, atque Lectoribus concessorum.

93 Renovantur Statuta de conficienda nova compilatione omnium Statutorum Familiæ Cismontanæ, & hoc negotium committitur Patri Diffinitori Generali Fr. Joanni Francisco à Sorrexina, qui debeat incumbere ipsi ad mentem Statutorum compilationem hujusmodi præscribentium.

In-

94 Injungitur Ordinis nostri Prædicatoribus, vt per loca non erigant viam Crucis, quæ jurisdictioni Generalis Ministri non sint subjecta; & qui secus fecerit, priventur munere prædicandi.

95 Compromittitur in Patrem Reverendissimum Ministrum Generalem per Observantes, & Reformatos, vt consilio aliquorum adhibito respectivè possint resolvere, & definire quædam puncta, quæ remanent indecisa, suasque resolutiones, & definitiones inserere Statutis istis.

PRO REFORMATIS.

96 IN Provincijs Reformatorum, in quibus non existunt Conventus Recollectionis, continuò tales Conventus instituantur, neque ipsarum vlla Novitios, vel induat, vel recipiat, in qua Conventus isti priùs non fuerint instituti.

97 Concordiam limitum pro eleemosynis nonnullorum Conventuum colligendis inter Provincias nostras Sancti Salvatoris, & Sanctæ Mariæ in Regno Pannoniæ sitas in Gyongyosiensi Conventu die 26. Septembris anni 1720. per vtriusque Provinciæ Diffinitorium initam, & subscriptam, & exemplari authentico Generali Capitulo præsentatam, idem sic approbat, & confirmat tamquam si de verbo ad verbum his actis insereretur; & injungit omnibus, & singulis vtriusque Provinciæ Subditis, & Superioribus, vt eam perpetuò ratam habeant, non modò sub pœnis expressis, & vtrimque acceptatis in Instrumento præfatæ compositionis, verùm etiam sub alijs pro meritò refractariorum ad Superioris Generalis arbitrium infligendis.

98 Ad petitiones Custodiæ Transilvaniæ decernitur; Primò, eamdem Custodiam non posse in Provinciam erigi, vtpotè ad id opportuno Conventuum numero destitutam; Secundò, neque Hospitia, neque Residentias, neque Conventus, sivè à Bulgaribus Observantibus in Transilvania, sivè à Reformatis Transylva-

bis in Bulgaria; vel procurandos in posterum esse, vel admittendos, nisi aliter postulaverit ob desidiam alterutrius Nationis, vel Catholicorum servitium, vel Catholicæ Fidei propagatio; Tertiò, statuta municipalia ipsius exhibita Capitulo Generali in ijs dumtaxat servanda esse, quæ non adversantur Statutis Urbani VIII. & quæ Constitutionibus Generalibus Ordinis non opponuntur; Quartò, juxta Summorum Pontificum declarationes, illicitum, atque adeò vetitum esse eleemosynas peccuniarias in suis Domibus asservari; Quintò, Commissarium Visitatorem ipsius Custodiæ Filium posse in eodem Capitulo, cui præsidet, eligi Custodem Provincialem, secùs verò si alterius aut Custodiæ, aut Provinciæ Alumnus sit; Sextò, etiam quo tempore Missionarij exercent Missiones actu, tenentur incumbere puriori Observantiæ regulæ quantum possunt, ac proindè ab omni contrectatione pecuniæ pro viribus abstinere.

99 Quoad Provinciam Hungaricam Sanctæ Mariæ Reformatorum decernit Capitulum Generale, in Cathalogum Studiorum Generalium inserendum iterum esse Conventum ejus Tyrnariensem Sancto Jacobo Apostolo nuncupatum: & nullam Sanctimonialem Monasterij S. Claræ ejusdem Civitatis Tyrnariensis titulo, & prærogativis Maternitatis augeri posse, nisi priùs Abbatissæ, vel Priorissæ Officium debitè administraverit.

100 Conceditur Provinciæ Sancti Salvatoris in Hungaria, vt Nationibus Slavonica, atque Hungarica consentientibus per vtriusque discretos, alternativa inter vtramque, licèt ad gradus totius Diffinitorij tantum formari possit: & Generale Studium etiam pro Natione Slavonica designari: & sicut dum assignabitur hoc, ex nunc pro tunc haberi præcipitur approbatum, ita cum primum firmabitur illa, reputari jubetur ex nunc pro tunc per Generale Capitulum ratihabita, & ad perpetuam Provinciæ pacem mandari perpetuæ executioni.

101 Provinciæ Reformatæ Sancti Nicolai in Apulia conceditur Almæ titulus, quoniam numerum Conventuum obtinet pro hujusmodi titulo requisitum.

102 Quod præcedentiam Lectorum Actualium Sacræ Theologiæ servetur Decretum claræ mem. Eminentissimi Cardinalis Barberini Ordinis Protectoris, quod dedit die 20. Augusti 1678. facultate sibi attributa à Sacra Congregatione, videlicet quod dumtaxat in Conventibus illis præcedentia gaudeant, in quibus exercent munus Lecturæ suæ, necnon in Capitulis, & Congregationibus, tàm Provincialibus, quàm Generalibus, ad quæ, vt exercitationes Scholasticas habeant, evocantur.

103. Patres Discreti Provinciæ, seù Carniolæ, seù Bosnæ Croatiæ, variè scilicèt hactenùs appellatæ, agant in Provinciali Capitulo proximè celebrando, vt conveniat inter ipsos de vno titulo determinato, qui stabili nomenclatione Provinciæ in posterum attribuatur: cumque ante publicationem præsentium Constitutionum nuntiatum fuerit eos jam consensisse, vt dicatur Provincia Sanctæ Crucis in Croatia, & Carniola, iste ipsius titulus promulgatur.

104. Non existentibus Guardianis intra limites suis Conventibus assignatos Vicarij eorum præcedant in omnibus Patres Diffinitores actuales, imò & omnes Provinciæ Patres; qua tamen præcedentia non gaudeant Guardianis intra præfatos limites existentibus, quamvis ad eosdem Vicarios spectet Benedictionem ferre, sicut & aquis Sacris Communitatem aspergere, quotiescumque, & quomodocumque Guardiani non adsunt, dum talia de more præstanda sit.

PRO TERRA SANCTA.

105 Statuitur Patrem Guardianum Hierosolymitanum nullam jurisdictionem in Sanctam Custodiam exercere posse quoad vsque patentes litteræ institutionis suæ, aut confirmationis inibi formitèr publicentur.

106 Eidem interdicitur ne Syndicos Terræ Sanctæ, aut Procuratores instituat in partibus Christianorum,

rum, sive ad eleemosynas pro Sanctis Locis excipiendas, sive ad negotia Sanctæ Custodiæ in Tribunalibus promovenda.

107 Comitatus ipsius in Terram Sanctam proficiscentis non excedat quatuor Religiosos,& hi quidem probi, & idonei erunt, sed ad ejus placitum eligendi.

108 Cum primum poterit, Visitationem instituat localem, & personalem, prout Constitutionibus Generalibus præscriptum est, & præsertim in Conventibus Sanctissimi Salvatoris, Bethleem, Nazareth, & Sancti Joannis in Montana, & ad Superiorem Generalem, quamcitiùs poterit, Transumptum authenticum mittat ejusdem Visitationis, vt vtrique innotescat, quo pacto servitium Terræ Sanctæ meliùs curari possit.

109 Prohibetur eidem ne in gravibus rebus se solo judicium ferat, & ne quidquam proprio marte, Discretis inauditis, in momentosis negotijs exequatur.

110 Renovantur Statuta Generalia quoad Equites Sanctissimi Sepulchri ex Concessione Apostolica per Patrem Guardianum instituendos; eidem præcipitur in virtute sanctæ obedientiæ, & sub pœnis ad Superioris Generalis arbitrium infligendis, vt nullum instituat talem Equitem, nisi ex prævio consensu vnanimi omnium Discretorum, nisi adhibitis consuetis solemnitatibus ad talem institutionem, & nisi latis in eleemosynam centum zecchinis venetis per Equitem instituendum, ijsque ad conservationem SS. Sepulchri vnicè applicandis.

111 Conceditur Patri Procuratori Generali Terræ Sanctæ, vt prudentèr invigilet super Ministris Officiorum Sacristiæ, Cellariorum, Coquinæ, Procurationis, ne quidquam contra sanctam paupertatem perdatur, vel distrahatur, & quatenùs vel minus fidelem, vel minus attentum aliquem deprehenderit, de hoc Patrem Guardianum certiorem reddat, vt remedium ab ipso adhibeatur.

112 Idem Procurator Inventarium habeat rerum omnium primum, quæ in Officinis existant suæ Procurationis, tùm etiam earum, quæ in Sacristijs, Cella-

rijs, & Coquinis Conventuum SS. Salvatoris, S. Joannis in Montana, Bethleem, & Nazareth asservantur, illudque à Patre Guardiano, & à Discretorio subscriptum sit, vt rationem de omnibus reddere possit, & debeat, si aliquando expediat ipsum ad eam reddendam expostulari, & singulis Officiorum Ministris singula inventaria tradantur earum rerum, quas respectivè in Officio credito illis continget adinveniri, vt eodem rationabilitèr instante Patre Procuratore, ad rationem ipsi quoque per P. Guardianum coram Discretis vocari possint.

113 Pro servitio Conventuum omnium, atque Hospitiorum Custodiæ Terræ Sanctæ sexaginta Laici, & Sacerdotes centum, id est Fratrum centum, & sexaginta numerus assignatur, qui tamen non sic arithmeticus erit neque impræteribilis, vt ádmonente Discretorio à Superiore Generali augeri nequaquam possit, vtque supra prædictos non alij aliqui ibidem in promptu habendi sint ad occurrendum fortuitis necessitatibus ab epidemijs, alijsque infortunijs oriri natis; atque adeò certus præfatus numerus idcircò figitur, vt normæ sit prudentiæ Superiorum ad ipsum immodicè non excedendum, & in eumdem hunc finem injungitur Patri Guardiano, vt possessione inita Officij sui, Cathalogum ad Superiores Generales transmittat degentium ibi Religiosorum, subnectendo cuique juxta taxatas moras, quo tempore ad propriam dimittetur, & informando singulis annis, quot ipsorum è vivis sublati sint, vt opportunius providentia, quæ convenit, impendi possit.

114 Statuitur iterùm, vt Fratribus redeuntibus è Terra Sancta post exhibitum ipsi triennio consueto servitium commendabile, Pater Procurator ad trium piastrarum sumptum Sanctuaria concedere teneatur, reddere libros, si quos secum ijdem illuc comportaverunt, & assignare ipsis vnum illud, ni admodùm consumptum fuerit, cum quò ad Terram Sanctam pervenerant, indumentum.

115 Litteræ patentes indeterminatæ, seù *in albo*

ut vulgò dicitur; pro Religiosis in Terram Sanctam mittendis omninò prohibentur.

116 Quæcumque patentes Litteræ recognosci debeant à Patre Provinciali cum Diffinitoribus, quatenùs ij apud ipsum inveniantur, & insuper cum Discretis Conventus, in quo moram fecerit ille, cui concessæ sunt; quandoquidem idem Pater Provincialis, Diffinitores, & Discreti attestationem facere debent, an Religiosus, pro quo patentes Litteræ sunt expeditæ, moribus ijs præditus sit, vt ad benè inserviendum Sanctis Locis capax, & idoneus reputetur.

117 Ut autem hæc ordinatio non frustretur effectu suo, mandat Capitulum Generale, vt testimonia præfata Diffinitorij, & Discretorij, profecturo tradantur ab eo cum Patentalibus asseruanda, vtque Superiores eidem progredi non permittant, nisi ab illo vna cum Patentalibus ipsis Testimonia præfata exhibeantur.

118 In quibusvis Patentibus litteris exprimatur conditio hæc: *Dummodò antecedentèr in servitium Terræ Sanctæ Religiosi ejusdem Provinciæ non reperiantur jam destinati*; exceptis tamen Missionarijs ejusdem Terræ Sanctæ.

119 Quilibet Religiosus completo termino in suis Litteris Patentibus expresso ad Christianas Regiones, & ad propriam Provinciam, sub pœna privationis perpetuæ vocis activæ, & passivæ redire debeat ad nutum Patris Guardiani Hierusalem; moram autem vlteriùs in Locis Sanctis protrahere, quoad illos Religiosos, qui permanere cupient, ac Terræ Sanctæ proficui invenientur, arbitrio Discretorij ejusdem Terræ Sanctæ relinquitur.

120 Nulli Religioso, Missionarijs exceptis, ac Eleemosynarum Transvectoribus, titulo devotionis ad Terram Sanctam, postquam aliàs, tempore sibi in suis Litteris Patentalibus præscripto, ibi moram fecerit, redire permittatur. Si verò Pater Generalis, aut Commissarius Generalis erga aliquem Religiosum illùc redeundi cupidum propendeat, priùs Discretorium Terræ Sanctæ de moribus, & idoneitate illius exquirat.

121 Quolibet anno Pater Guardianus Hierosolymæ ad Patrem Generalem, sivè ad Patrem Commissarium Generalem Familiæ, Cathalogum omnium Religiosorum actù in Sanctis Locis permanentium mittat, eorumdem Provinciam specificando, & simul quando tempus eorum permansioni præfixum expiret, ad hoc vt prædicti Pater Generalis, sivè Commissarius Generalis Familiæ tot dumtaxat Religiosos, quot ad servitium Terræ Sanctæ erunt opportuni, dimittat.

122 Ad effectum exonerandi quantum fieri poterit Commissionem Tusciæ ab onere imponendi in Naves exteros Religiosos in Terram Sanctam profecturos, quilibet eorum ingressum in Naves curet in Portu viciniori propriæ Provinciæ, dummodò ibi aliquis ejusdem Terræ Sanctæ Commissarius existat.

123 Receptuæ Eleemosynarum, quæ à Patribus Commissarijs Terræ Sanctæ ex Christianis Regionibus Hierosolymam mittuntur, fiant deinceps, & subscribantur à Patribus Guardiano Sacri Montis Sion, & Discretis Terræ Sanctæ pro tempore præsentibus.

124 Eleemosynæ omnes, quæ ad Sancta Loca, vt suprà transvehuntur, in Arca sub tribus clavibus asserventur, quarum vna sit penes Patrem Guardianum Hierosolymitanum pro tempore, altera penes Patrem Vicarium, tertia deniquè à Patre Procuratore detineatur; quod decretum Pater Guardianus omnimodæ executioni demandari curet, sed pœna suspensionis ab Officio in casu inobservantiæ per ipsum incurrenda.

125 Nullatenùs in posterum quacumque de causa cuique pecunias, & mobilia Terræ Sanctæ distrahere, seù alienare, aut ædificia construere, vel extra ordinarios sumptus facere permittatur, absque prævia approbatione ejusdem Guardiani, & Discretorum pro tempore præsentium, seù saltèm majoris partis.

126 Vicarius Guardiani Hierosolymitani nominetur tantùm Vicarius Sacri Montis Sion, & nullo modo Vicarius Generalis appelletur, qui in functionibus, quæ fiunt conveniente Communitate Sancti Salvatoris, absente, vel impedito P. Guardiano, præsideat, & præferatur, ipse

ipseque tum in SS. Sepulcro prædictas functiones exequatur.

127 Præcedentiæ ordo inter Vicarium Montis Sion, & P. Procuratorem Generalem Terræ Sanctæ servetur vbique per Terram Sanctam, qui Hierosolymis sancitus est.

128 Pater Vicarius Montis Sion in Processionibus procedat ante indutos Superpelliceis, etiam dum Patris Guardiani præsentia desideratur.

129 Chori Moderatores S. Salvatoris, SS. Sepulcri, Nazareth, Bethleem, & Sancti Joannis in Montana, sic successivè in præfatis Conventibus permutentur, vt singuli inserviant singulis saltèm per vnum annum: Cumque sexennium integrum in tali Officio elaboraverint, fruantur in suis respectivè Provincijs privilegio illo, quod Moderatori annorum totidem Chori Ara-Cœlitani concessum est.

130 Prohibetur omnibus Religiosis, quicumque illi sint, sub pœna Excommunicationis majoris ipso facto incurrenda, necnon privationis perpetuæ vocis activæ, & passivæ, ne vllo pacto, nec scilicèt vendendo, nec permutando, nec alio quovis genere negotiationis agendo distrahere audeant, vel per se, vel per alios Coronas, Rosarios, & alias id genus Devotiones Hierosolymæ.

131 Spolia Defunctorum consistentia in Rosarijs, Crucibus, alijsque hujusmodi Devotionibus, & omnia quæcumque alia, vti extracta fuerunt ex peculio Procurationis, ita non nisi eidem restituantur.

132 Pater Guardianus Terræ Sanctæ non vtatur facultate, aut mittendi, aut vocandi Ex-Provincijs Fratres in Terram Sanctam, nisi Superiorem Generalem præmoneat de vnoquoque ipsorum, ipsique permissio ab eodem concessa sit.

133 Extenditur Privilegium Commissariorum Terræ Sanctæ existentium in Curijs Principum ad Procuratorem Generalem Terræ Sanctæ Hierosolymis commorantem, postquam hic expleverit illorum instar duodecim continuos annos suæ Procurationis.

Pa-

134 Pater Guardianus, & Pater Vicarius, & Pater Procurator teneantur respectivè Discretum eligere Nationis suæ.

135 Ex vnaquaque Commissione Terræ Sanctæ non destinetur, nisi vnus Frater quantùm fieri poterit ad Eleemosynas earumdem Hierusalem transuehendas.

PRO TERTIO ORDINE SÆCULARI.

Cõfirmatum, & extensum per Bullam Innoc. XIII. *Ordines, & Congregationes &c.* 23. Januarij 1724.

136 DEclarat Capitulum Generale illos omnes, qui in Civitate Sancti Sebastiani Fluminis Januarij in Brasilia recipiunt habitum Tertij Ordinis S. P. N. Francisci independentèr à Commissario Primi Ordinis ad legitimè deputato, nec habendos esse, nec posse præfati Tertij Ordinis Professores, nec vllo pacto Indulgentijs, & Privilegijs gaudere posse veris tantùm Alumnis ejus per Summos Pontifices impertitis, nec præstare aliud quidpiam, quod Professoribus veris concessum est: idemque Generale Capitulum injungit Patri Commissario Curiæ, vt Sanctissimo supplicet pro confirmatione istius declarationis, inhærendo alijs Constitutionibus Apostolicis desuper emanatis, vtque dignetur Sanctitas Sua innovare mandatum suorum Prædecessorum ad Congregationes præfati Tertij Ordinis Sæculares, de subjectione per ipsos Ministro Generali totius Ordinis, alijsque subalternis ejusdem Ordinis Superioribus in ijs, quæ disposuerunt Summi Pontifices, exhibenda.

Impetrata fuit Bulla SS. D. N. Benedicti Papæ XIII. *Paternæ Sedis Apostolicæ, &c.* 4. Idus Decẽbr. 1725. luculentissimè disponens de toto Tertio Ordine, quoad subjectionem ejus Superioribus Primi Ordinis.

137 Commissarius Tertij Ordinis in Urbe degens, vel alius quicumque gerens ipsius vices non concedat consuetas Patentes litteras, nisi illis, qui vel de sua in Tertium Ordinem receptione testimonia ipsi authentica exhibebunt, vel proferent litteras validas obedientiales à Ministris Provincialibus sibi fortiter expeditas.

Ex Sacris Congregationibus.

Mandato Sacræ Congregationis Disciplinæ Regula-

tiam præpositæ præcipitur Ministris Provinciarum Regularis Observantiæ constitutæ intrà Italiam, & in Insulas adjacentes, vt sedulam navent operam Disciplinæ augendæ, & conservandæ, vtque invigilent observantiæ puritatis Regulæ nostræ, necnon generalium nostrarum Constitutionum, illarum præsertim, quæ pro Recollectionum Conventibus præscriptæ sunt, omniumque demùm illarum Ordinationum, quæ Bulla san. mem. Innocentij XI. *Militantis Ecclesiæ*, *&c.* expressè comprehenduntur.

Ejusdem Sacræ Congregationis auctoritate injungitur Ministris omnium Provinciarum Strictioris Observantiæ, vt quisquis in Provincia sibi credita omninò Conventus secessus erigat, id est Conventus, qui *di Ritiro* Italicè appellantur ad normam Epistolæ Encyclicæ quondam Patris à Montebuso, quæ per eandem Sacram Congregationem die 27. Maji anni 1708. approbata fuit in omnibus, & confirmata, assignaturque ipsis terminus mensium sex à publicatione istarum Constitutionum, ad mandandum executioni Decretum istud, docendamque authenticè præfatam Sacram Congregationem, quod re ipsa fuerit adimpletum.

Etiam jussu ejusdem Sacræ Congregationis præcipitur quoque Ministris Provinciarum omnium Regularis Observantiæ, vt similitèr Conventus in Provincijs suis instituant ad hunc secessum, moneantque authenticè intra sex mensium terminum prædictam Sacram Congregationem, quod in talium Conventuum institutione reverà fuit obtemperatum.

Jubente Sacra Congregatione negotijs Episcoporum, & Regularium præposita ex mandato speciali SS. D. N. D. Innocentij PP. XIII. intimantur sequentia Statuta executioni omnimodæ demandanda.

I. In Fratres denarios, vel apud se quomodolibet retinentes, vel proprijs manibus expendentes, innovantur pœnæ omnes, quæ per Capitula Generalia Assis. 1354. Salm. 1553. & Vallis. 1593. fuerunt olim in ipsos determinatæ.

II. Si qua, vel Provincia, vel Domus, vel Bona

immobilia, vel quodlibet aliud habeat fructum illicitum nobis ferens, sivè ea connexa certa onera teneant, sivè non, injungitur primum, vt ad formam per Capitulum Victor. 1694. indictam ad perquisitionem, & abdicationem ipsorum illicò procedatur; tùm præcipitur, vt abdicatio horum bonorum nullis oneribus obligatorum, si primo legantium non adsit hæres, & commodè posit fieri, eo pacto mandetur executioni etiam apud nos, quo per Congregat. Tolet. 1583. Hispanis præcepta fuit; Sin minus tàm horum bonorum, quàm aliorum certis oneribus connexorum, eo modo abdicatio fiat, qui præscriptus fuit per Congreg. Rom. 1603. quique per Sacram Congregationem particularem negotijs nostris à fel. rec. Urbano VIII. præpositam, & approbatus fuit die 14. Junij 1628. & fusius explicatus; ac demùm jubetur ad mentem Capitulorum Generalium Genuen. 1302. & Assif. 1304. sub Excommunicationis majoris latæ sententiæ poena, tàm Subditis, quàm Superioribus Locorum, & Provinciarum, Superioribus quidem, vt exequantur tales abdicationes, & quando, & quomodo præscribuntur; Subditis verò, vt moneant Superiorem Generalem, si quidpiam quoad abdicationes hujusmodi, vel omitti resciverint à Superioribus, vel cælari, qui etiam à Generali, constito quod revera deliquerint, à suis muneribus deponantur.

III. Contra ludentes quamcumque rem, innoventur poenæ, à Capitulo Generali 1374. & Aquil. 1495. olim præscriptæ, & quamvis ad levamen animi status horis, atque temporibus ludi aliqui permittantur, observetur, quoad hoc ordinatio Capit. Vallisol. 1593. & rem aliquam ludere vetitum semper sub poenis prædictis intelligatur.

IV. Disponatur de Fratrum spolijs, prout à Capit. Tolet. 1606. sancitum fuit, & prout sanctionem hujus Capituli Congreg. Rom. 1679. præssius explicavit, ad quem effectum explicatio hujus Congregationis in Constitutionem perpetuam stabilitur, & sub poenis quidem à prædictis Congregatione, & Capitulo constitutis, quæ sanè poenæ, aliæque ad Superio-

ris

ris Generalis arbitrium imponendæ statuuntur in Superiores illorum Conventuum, & Provinciarum, qui Fratruum Infirmorum spolia professioni nostræ non cohærentia, vel suis privatis vsibus applicant, si decedunt, vel iterum ipsis Fratribus tribuunt, si convalescunt.

V. In substituentes pro arbitratu suo Syndicis Apostolicis alias Personas particulares, in quorum manibus pecunias servent, innovantur pœnæ Congregat. Messanen. 1532. & Capit. Vallisol. 1593.

VI. Quoniam observantia Regulæ nostræ plurimum ex eo pendet, quod per Superiores Locales necessaria Fratribus quoad vestitum, & victum subministrentur, statuuntur pœnæ in eosdem id non præstantes, & in Superiores Provinciales eas exigere negligentes, quæ per Generalia Capitula Vallisolet. 1593. Tolet. 1633. & 1682. & Victor. 1694. decretæ sunt.

VII. Charitas erga Infirmos in aliquibus Provincijs auditur ita refriguisse, vt ex hoc vel Sæculares ipsi scandalum pati perhibeantur, ac proinde ad eliminandum pro viribus defectum adeò abominabilem renovantur contra ipsum Statuta omnia generalia Asisi. 1354. 1430. 1547. Salmat. 1553. Aquil. 1559. Neapol. 1590. Vallisol. 1593. Tolet. 1633. & Victor. 1694. & strictè injungitur, vt pœnæ contentæ in illis mandentur executioni.

VIII. Renovantur Statuta omnia, & præsertim anni 1337. 1590. & 1593. de Officio Divino quoque die in vnoquoque Conventu sanctissimè recitando disciplina Chori servata, & Fratribus omnibus ad ipsum convenientibus, prout ijsdem Statutis, pœnis etiam indictis, præceptum est: nullum prorsùs negotium, vel per totam Communitatem, vel per Fratres particulares, quod vel ante, vel post recitationem Officij commodè tractari possit, statis ad Officium horis, sub quocumque prætextu assumi possit: Si quando in Officij horam incidat negotium aliquod, quod per Communitatem vel differri nequiverit, vel prævenire, tunc per eandem Officium Divinum devotione, qua convenit, vel anteà omninò, vel posteà celebretur:

omnibus, & singulis horis interesse omnes, & singuli adeò teneantur, vt dumtaxat Lectores, & Prædicatores, quo die legunt, & prædicant, exempti sint, vt hi ipsi, si notabilitèr negligant interesse, à suis etiam muneribus absolvi possint, vt demùm omnes, vel habitualibus morbis impediti, vel indevotionis contemptu culpabiles notabilitèr quoad hoc, ad nullum prorsùs Officium, & gradum Ordinis, vel deputari, vel suffragari, vel eligi valeant sub nullitate Electionum, Subrogationum, atque deputationum, quoad vsque per duos continuos annos à notorio defectu Chorum, vti præmittitur, frequentaverint. Hanc eandem inhabilitatem fortiùs adeant Superioris Conventuum, qui culpabilitèr præfatos defectus, vel in tota Communitate, vel in aliquibus Fratribus, aut permiserint, aut dissimulaverint, ipsosque Superior Provinciæ, etiam à Superioritate, quam obtinent, extrudere teneatur, subjiciendus & ipse pœnis ad Superioris Generalis arbitrium, si adimplere neglexerit Statuta hæc; quorum observantia cum primis injungitur Patribus Visitatoribus, vt disciplina adeò contingens de proximo cultum Dei, aut firmetur, aut restituatur.

IX. Oratio mentalis quotidie in omni Conventu ab omnibus habeatur, & quidem horis, modo, & tempore per generalia Statuta prædefinitis, nempè Salmant. 1553. Parisiens. 1579. Rom. 1587. Neapol. 1590. Vallis. 1593. Rom. 1600. & 1612. Tolet. 1633. necnon sub pœnis in Superiores, & Subditos per eadem Statuta latis.

X. Quæ salubritèr à majoribus nostris in Capitulis Salmant. 1553. Vallisol. 1593. Rom. 1603. & 1612. de Silentio statis horis, & locis pulsando, & observando mandata sunt, injungitur, vt in vnoquoque Conventu plenum effectum habeant sub pœnis arbitrarijs quidem, sed omninò infligendis, & his etiam gravibus quatenùs opus fuerit ad licentiam oppositam compescendam, & Superiores Locales à Superioribus Provincialibus pro negligentiæ modo prout disciplinæ congruere noverint, castigentur.

Etsi

XI. Etsi Capitulum Vallisol. 1593. congessit multa, quæ in offerendo Sacrosancto Sacrificio Missæ devotionem simul injungerent, & inspirarent, commendantur adhuc modestia, & gravitas, quæ tantam actionem decent, quæque infrà dimidium horæ nequaquam, vt convenit, impendi possunt, & præcipitur Superioribus primum, vt sedulò invigilent huic rei, tùm vt quos vel inconditè, vel celeriùs facere deprehenderint, pro prima vice disciplinæ per integrum Miserere subjiciant in plena Communitate, pro secunda in publica Refectione de genu in pane tantum, & aqua habeant, pro tertia vtrique correctioni prædictæ signa probationis adjiciant, nullatenùs adimenda ipsis, donec stabilitèr emendentur, & quatenùs aliquis se adhuc præbeat incorrigibilem omninò à Sacris Altaribus arceatur, & suspendatur, & alijs servitijs applicetur; & de Patribus gravibus laborantibus de vitio isto Superiores Majores, vt omninò efficax remedium adhibeant per Superiores Locales admonqantur, & informentur, qui si desides fuerint in præmissorum adimplemento voce activa, & passiva sexennio careant, quin possint redintegrari.

XII. Qui equitaverint, bigaverint, quadrigaverint, vel sine probata necessitate, vel non servato in necessitate ipsa præscripto nostrarum Constitutionum, puniantur irremissibilitèr prout ijsdem injunctum fuit anno 1337. 1416. 1430. 1514. 1521. 1541. 1553. 1590. 1593. & prout etiam præceptum fuit per Apostolicas Constitutiones, & Superior Generalis illis ijsdem animadvertat in alios subalternos, qui vel in se, vel in alijs, aut foverint, aut neglexerint abusum hunc.

XIII. Calceamenta, & Caligæ, & quæcumque alia, vel Crurium, vel pedum operimenta eodem vigore, & tenore affatim prohibentur, quo ipsis interdictum fuit per Capitula Generalia Assis. 1526. Salmant. 1553. Vallisol. 1593. & Rom. 1603. & præcipitur, vt Constitutio san. mem. Innocentij XI. *Sollicitudo Pastoralis, &c.* Quoad hoc, & alia omnia, quæ continet mandando, & declarando, adamussim, & attendatur, & observetur.

Pœ-

XIV. Pœnæ in largitores munerum à fel. rec. Clemente VIII. in Constitutione sua, quæ incipit: *Religiosæ Congregationes*, *&c.* Quæque per Capitulum Rom. 1600. Fratribus quoque accipientibus à Fratribus munera constitutæ per Capit. item Rom. 1612. translatæ etiam sunt ad Fratres munera Fratribus impertientes, extendantur præsertim in Superiores Provinciarum, & in Commissarios Visitatores earum, si denarios maximè, & à Guardianis maximè accipere non perhorrescant, & Superior Generalis eas omninò ipsis infligere teneatur.

XV. Superiores Generales, qui denarios quomodolibet contrectare, eosque, vel apud se, vel in Conventu, vel alibi retinere, aut contractus emendo, vendendo, commutando facere ausi fuerint, vel aliud quidpiam, vel per alios, vel per se ipsos exequi, quod tantum per Syndicos Apostolicos præstandum est, aut se solis determinare rem aliquam, pro qua, aut consilium, aut consensum, vel Discretorij Conventus, vel Diffinitorij Provinciæ attendere adiguntur, pœnis afficiantur per Constitutiones Apostolicas, & Statuta Ordinis in ipsos latis, & in perpetuum voce activa, & passiva privari possint.

XVI. Quæ de Concionatorum stipendijs non modo per Ordinis Constitutiones, sed per Concilium ipsum Tridentinum, & per Summos Pontifices Clementem, & Urbanum VIII. pœnis etiam taxatis in transgressores sancita sunt, adeò intimantur, vt si qui Ministri Provinciales approprient sibi partem talium stipendiorum, & partem eorumdem relinquant Concionatoribus ipsis appropriatam, ijsdem pœnis, quibus tunc Concionatores ipsi obnoxij sunt, Ministri quoque subjiciantur.

XVII. Præcipitur eisdem Superioribus Provinciarum, vt Bullam fel. rec. Urbani VIII. de restituendo candore, præsertim quoad cibum, & potum ipsi cum primis servent, vtque proindè nulla Promptuaria ciborum reposita sibi habeant, vndè hanc disciplinam opere in se ipsis, & scandalo in alijs labefactent; qui autem in vtro-

vtroque, aut in altero culpabiles se præbuerint, taxatas ibi à Summo Pontifice pœnas luant, quas etiam dent alij, quocumque gradu polleant, præfatam Bullam non observantes, Superioresque Locales, qui non eumdem victum, & sibi, & alijs administraverint.

XVIII. Visitatio Cellarum in menses singulos Superioribus Localibus injuncta à Rom. Capitulis 1625. & 1676. mandetur executioni duobus Discretis adhibitis, & ministrando necessarias res, sicut etiam superfluas auferendo, & qui Superior omisserit tertium obire ipsam, & vel superflua tollere, vel necessaria addere non curaverit, det pœnam à Congregatione Rom. 1615 in ipsum latam, satagantque Ministri, & Commissarij Visitatores inquirere, an Superiores Locales huic Statuto obtemperaverint, visitentque Cellas, & ipsi ad præscriptum Capituli Generalis Rom. 1571. Neapol. 1590. Vallisol. 1593. & Rom. 1612. vt emendent si quid à Superiore Locali neglectum fuit, & vt exigant pœnas in ejus desidiam præstitutas.

XIX. Cum pecunia quam maximè per Regulam nostram explosa sit, atque in ipsam omnia ferè Generalia Capitula conclamaverint, statuitur, vt quicumque Superior eam Subditos suos professos, vel non professos mendicare, aut jusserit, aut permisserit, aut dissimulaverit, ipse quidem à Superioritate, quam obtinet, illicò deponatur, & vocis activæ, ac passivæ privatione, atque inhabilitate perpetua condemnetur, Subditi verò si professi sunt, Proprietarijs pœnam inflictam luant, & si professi non sunt, à consortio nostro perpetuùm amandentur.

XX. Qui plures quam duas tunicas, vel plusquam vnum Caputium habuerit extrà Communitatem Conventus ad vsum suum, si ad id Superioris permissu expresso, veraque careat necessitate, statim privetur ipsis, & ad ejusdem Superioris arbitrium puniatur. Si autem vera necessitate adactus, expressa tantum careat facultate, prout id, vel incogitantia, vel contumacia fecerit, vel secreto, vel palam corripiatur.

XXI. Intimantur prohibitiones, quæ ordinatæ fuerunt

tunt etiam, atque etiam, & præsertim à Capitulo Victoriensi 1694. thoracium, subucularum, indusiorum, aliorumque omnium id genus indumentorum, & præcipitur vt eadem Sanctio Victoriensis non quoad substantiam modò, verùm etiam, quoad cautelas, & pœnas mandetur executioni, & similitèr quod statuit F. R. Nicolaus III. contra non dormientes cum habitu non sibi concessa licentia per Medicum, & Superiorem.

XXII. Computus exigant ab Aromatarijs Superiores Locales, & Provinciales prout à Capitulo Tolet. 1606. pœnis etiam in obluctantes conscriptis statutum fuit; & si quis pharmaca vendere contra præscriptum Sacræ Congregationis particularis præpositæ negotijs nostris 14. Junij 1628. aut etiam capsulas ad nummos, vel accipiendos, vel asseruandos contra statutum Congregationis Romanæ 1615. ausus fuerit retinere, det Superiori Localj pœnas ab eadem Congregatione assignatas, & Commissarij Visitatores perquirant quo pacto Aromatariæ fuerint administratæ, atque in Superiores, tàm Locales, quàm Provinciales, qui indormierint defectibus istis; severè animadvertant.

XXIII. Cum habere capsulas apud nos ad Eleemosynas Missarum recipiendas non modò per Congreg. Asisf. 1526. vetitum prorsùs fuerit, sed eatenùs non probaverit Capit. Rom. 1700. vt supplicari præceperit, ne per Bullam novissimam Innocentianam ad eam habendam coarctaremur, cumque rogata Sacra Congregatio Concilij, an, & quomodo Minores Observantes valeant retinere capsulas pro Missis celebrandis ad 7. Julij 1708. responderit negativè; injungitur Superioribus localibus ne hujusmodi capsulas, vel in Sacrario, vel alibi audeant constituere, & contrafacientes pœnæ se noverint subjectos esse, quæ in Statutorum compilatione edita anno 1594. nomine Statutorum Vallisol. 1593. hic pluries vsurpata in ipsos sancita est.

XXIV. Visitationes Conventuum, & Provinciarum inculcatur, vt methodo, & zelo fiant, qui præsertim per Constitutiones Asisf. 1445. Salmat. 1553. & Valli-

Vallifol. 1593. præscriptus fuit; quod quidem maximum Disciplinæ Regularis momentum, vt maximè instauretur, Ministri Provinciales, qui authenticè remedia defectibus in Visitationibus non applicaverint, vel audito ea successum non habuisse Superiores Locales non castigaverint, à Superioribus, & Visitatoribus Generalibus adeò puniantur, vt pro negligentiæ modo etiam deponi posśint; Commissarij autem Visitatores, qui paritèr in forma probante defectus tollere non curaverint, & Superiorem Generalem minutim de Provinciæ statu, decretisque in visitatione à se factis non admonuerint, Regestumque de omnibus ipsis ad novi Diffinitorij notitiam non efformaverint, nec eligi ad propriæ Provinciæ Ministeriatum, nec ad alterius Visitationem transmitti vnquam vlteriùs posśint.

XXV. Præferre in omnibus Ædes nostras paupertatem debere, quod ab vsque Capit. Asśis. 1219. fuit injunctum, & commendatum, in memoriam revocatur etiam nunc, vt vbique, & ab omnibus impleatur, & signantèr præcipitur Guardianis, Ministris, atque Visitatoribus, vt Ædificia publica, quæ Paupertatem, & simplicitatem nostram Seraphicam non præseferunt, omninò reforment proût à Capit. Asśis. 1304. Statutum fuit addita in Auctorem ipsorum privatione actuum legitimorum. Injungitur etiam, vt nullæ privatæ Fratrum habitationes, vel pluribus constent Cellis, vel aliquo vno spatio in plures Cellas commodè divisibili, magisque, vt neque marmoratis, neque picturis ornatæ sint, neque alia vlla structura, vel re nostræ contraria humilitati, & præcipitur per Sanctam Obedientiam, tàm Subditis, quàm Superioribus antedictis, vt in præmisśis omnibus apponant statim remedium permanens, & opportunum, cui si Subditi mediatè, vel immediatè restiterint, ipso facto excommunicationem incurrant absque vlteriori alia declaratione, & si Superiores defuerint, & irremisśibilitèr, & gradatim ad aliorum majorum arbitrium puniantur.

XXVI. Si quis (quod absit) adeò immemor suæ Profesśionis extiterit, vt mediatè, vel immediatè

exerceat mercaturam; incurrat ipso facto pœnam excommunicationis majoris, à qua, donec non se revera correxerit, per neminem absolvi possit, & nihilominùs si citra notabile scandalum institui causa in ipsum queat, proprietarij pœnam luat sine vlla dispensatione, aut diminutione, vocisque activæ, ac passivæ damnetur perpetua privatione.

XXVII. Provinciæ, in quibus Lanificia extant ad conficiendum pannum pro induendis Fratribus suis, permittuntur dumtaxat erogare alijs Provincijs eundem pannum, in quibus ad prædictum effectum Lanificia hujusmodi non existunt, sicuti, & Novitijs suis ad habitum Ordinis admmittendis, cavendo in vtroque casu, ne tales erogationes quæstum redoleant, mercaturamque, ne Eleemosynæ pecuniariæ ab alijs, quam à Syndicis Apostolicis tractentur, aut recipiantur; ne demùm pannum distrahant in Fratres, sivè Professos, sivè Novitios aliarum Provinciarum, quæ & ipsæ Lanificijs suis instructæ sint, & Deputati Lanificiorum, qui contrafecerint, deponantur à tali deputatione, nunquam ampliùs in ipsam restituendi.

XXVIII. Omnibus autem Provincijs districtè injungitur ne pannum in Fratrum vsum eleboratum sub quocumque prætextu directè vendere audeant Sæcularibus, fortiusque ne alium cujuscumque generis pannum fabricent in Sæculares, vel alios alienandum. Qui Ministri permittendo, jubendo, dissimulando in abusus consenserint adeò detestabiles, districtè puniantur à Superiore Generali vsque ad depositionem ipsorum, si opus fuerit, & qui deputati ad Lanificia curanda, in aliquo eorum culpabiles deprehendentur, actibus legitimis, ad quos rehabilitari non possint, decennio careant, & inhabiles perpetuò sint ad exercendam eandem deputationem. Visitatorum autem sit disquirere sedulò omnia hæc, & præsertim qua æquitate, & fidelitate Lanificiorum negotium administretur, vt de Provinciæ discretorum consilio melius ipsum instituant, si æquitas minor sit, vtque in reos omnes ad pœnam Proprietariorum procedant, si fortasis fidelitas desideretur, etiam
aggra-

aggravando juxta modum hujus delicti eandem pœnam, eamque infligendo etiam Ministris actualibus, & Patribus gravibus, non quoad Carceres, sed quoad privationem actuum legitimorum, si hujus criminis vel rei, vel complices deprehendantur.

XXIX. Breve, quod incipit, *Admonemur Pastoralis Officij* editum à F. R. Urbano VIII. contra Procurantes favoribus Officia Ordinis, intimatur iterum prout à Cap. Rom. 1700. fuerat intimatum, & injungitur publicari, & servari prout ab eodem Capitulo injunctum fuit, & extenduntur prohibitiones, & pœnæ constitutæ in ipso etiam ad procurantes favoribus ibi vetitis Officium Visitationis.

XXX. Renovantur Statuta Afsif. 1526. & 1547. necnon Salmat. 1553. & Vallisol. 1593. de Carceribus in vnaquaque Provincia extruendis, ijsque pluribus, vel paucioribus prout necessitas postulabit, qui tamen cum ad eorundem Statuorum præscriptum debeant humani esse, præcipitur, ne subterranei sint, aut luce penitùs destituti, & si qui tales vspiam inveniuntur, vel reducantur ad formam hanc, vel alijs excitatis, qui ferri possint, penitùs deserantur.

XXXI. Quoad suspensiones, privationes, aliasque pœnas, & præsertim carceribus mancipationes servetur præscriptum Generalium nostrarum Constitutionum, & Superiores in his alitèr procedentes pœnis, & ipsi subsint, quæ contra malè punientes à Constitutionibus ipsis taxatæ sunt.

Defunctorum numerus à postrémo Capitulo Generali.

In Ultramontana Familia obierunt in Domino Fratres 26971. Sanctimoniales verò 14114. & in Familia Cismontana Fratres 16854. Sanctimoniales autem 3055. atque adeò omnes Fratres defuncti sunt 43825. & Sanctimoniales 17169.

Pro Sanctissimo Domino Nostro Innocentio Papa XIII. ejusque ad multos annos incolumi sospitate, vltra preces jam statutas à Nobis, & ab eodem Apostolicis litteris confirmatas, singuli Sacerdotes tres Missas legant.

Pro omnibus Principibus Christianis Ordinem nostrum in Ditionibus suis tuentibus, & promoventibus, singuli Sacerdotes legant similitèr Missas tres.

Pro Eminentissimo, & Reverendissimo Domino D. Laurentio Cardinali Corsino apud Sanctam Sedem Ordinis Protectore, vnusquisque Sacerdos recitet vnam Missam.

Pro Eminentissima Congregatione Dominorum Cardinalium vna Missa legatur à quolibet Sacerdote.

Pro Excellentissima Familia de Comitibus Ordini nostro impensè addicta quisque Sacerdos recitet Missam vnam.

Pro Excellentissimo Comite de Chinchon, cujus beneficentia expensæ pro Generali Capitulo fuerunt factæ, Sacerdotes omnes celebrent vnam Missam.

Pro felici statu nostræ Seraphicæ Religionis, & Apostolici Ordinis Prædicatorum, duæ Missæ à Sacerdotibus omnibus recitentur.

Pro pace inter Principes Christianos, extirpatione Hæresum, Fidei propagatione, victoria contra Infideles, & Ecclesiastici Ordinis prosperitate, duæ Missæ legantur à quolib et Sacerdote.

Ita est.

Fr. Laurentius à S. Laurentio, Minister Generalis.
Fr. Joseph Garcia, Ex-Minister Generalis.
Fr. Joannes de Soto, Commissarius Generalis, & Indiarum.
Fr. [illegible]
Fr. Joannes à Petrafitta, Ex-Vice-Commissarius Generalis Reformatorum.

Fr.


Fr. Cherubinus à Nardo, Ex-Commissarius Generalis.
Fr. Deodatus à Roma, Ex-Vice-Commissarius Reformatorum.
Fr. Joannes Cosimus à Monte Miniano, Ex-Vice-Commissarius Generalis.
Fr. Antonius Blanch, Discretus perpetuus Ordinis.
Fr. Matthæus à Pareta, Procurator Generalis Ordinis.
Fr. Hyacinthus Serrat, Commissarius Generalis Curiæ.
Fr. Benedictus à Castro Arquato, Procurator Generalis Reformatorum.
Fr. Joannes Diaz à Conceptione, Procurator Generalis Discalceatorum, & Recollectorum.
Fr. Bartholomæus de Vulsinio, Diffinitor Generalis.
Fr. Carolus à Corleto, Diffinitor Generalis.
Fr. Gabriel Maria de Venetijs, Diffinitor Generalis.
Fr. Seraphinus à Sancto Fratello, Diffinitor Generalis.
Fr. Joannes Benedictus de Sarzana, Diffinitor Generalis.
Fr. Andreas Pordanes, Diffinitor Generalis.
Fr. Michael Angelus à Gallipoli, Diffinitor Generalis.
Fr. Hilarius Maria à Ragusio, Diffinitor Generalis.
Fr. Albericus Balbiano, Diffinitor Generalis.
Fr. Saturninus Dirop, Diffinitor Generalis.
Fr. Antonius Duro, Diffinitor Generalis.
Fr. Carolus Bourget, Diffinitor Generalis.
Fr. Emmanuel à Remedijs, Diffinitor Generalis.
Fr. Franciscus Delamar, Diffinitor Generalis.
Fr. Thomas Montalbo, Diffinitor Generalis.
Fr. Michael Mosterz, Diffinitor Generalis.
Fr. Joannes Salazar, Diffinitor Generalis.

Fr. Petrus Poiſſon Diffinitor Generalis.
Fr. Joſeph à S. Thereſia Diffinitor Generalis.
Ita eſt Fr. Joannes Franciſcus à Sorexina, Diffinitor Generalis Secretarius.

Supremo Sanctiſsimi D. N. Benedicti Divina Providentia Papæ XIII. imperio parendo ſupradicta Statuta totius Ordinis Minorum à Celeberrimo Capitulo Generali Romano anno 1723. Præſidente ſan. mem. Innocentio XIII. condita, ea, qua potuimus ſedulitate, & accurato ſtudio perluſtravimus, omniaque in illis contenta nedùm Seraphici Patriarchæ Regulis vniformia, & conſentanea recognovimus, verùm etiam maximam vniverſo, publicoque Ordinis bono, recto Provinciarum Regimini, ac exoptato Fratrum omnium profectui vtilitatem allatura forè cenſemus, proindèque, quatenùs eidem Sanctiſsimo Domino Noſtro placuerit, confirmationis Apoſtolicæ ob ſolemnitates rigorosè forſan non adhibitas robur elargiendum forè credimus. Datum Romæ hac die 18. Decembris 1728.

L. Cardinalis Corſinus Protector.

Fr. Laurentius Cardinalis Cozza.



BENEDICTUS PP. XIII.

Ad perpetuam rei memoriam.


AD paſtoralis Dignitatis faſtigium meritis licet imparibus, divina diſpoſitione evecti, illa, quæ pro felici, proſperoque Religioſorum Ordinum vberes bonorum operum fructus in Eccleſia Dei aſsiduè proferre ſatagentium gubernio, & progreſſu providè conſtituta, & ordinata eſſe noſcuntur, vt firma ſemper, atque in-

inviolabilia persistant, Apostolici muniminis nostri patrocinio, cum id à Nobis petitur, libentèr constabilimus. Exponi siquidem nobis nuper fecit dilectus filius Josephus Maria ab Ebora, Procurator Generalis Ordinis Fratrum Minorum Sancti Francisci de Observantia nuncupatorum, quod pro salubri totius Ordinis hujusmodi, illiusque Fratrum regimine, & directione diversæ Constitutiones in Capitulo Generali ipsius Ordinis novissimè, videlicèt anno MDCCXXIII. in hac Alma Urbe celebrato, cui fel. rec. Innocentius PP. XIII. prædecessor noster præsedit, editæ, ac subindè jussu nostro à Venerabili Fratre nostro Laurentio Episcopo Tusculano Corsino, Ordinis præfati apud nos, & Sedem Apostolicam Protectore, & bon. mem. Laurentio Cozza, dum viveret S. R. E. Cardinalibus nuncupatis revisæ, ac per eos in meliorem, clarioremque formam redactæ fuerunt. Cum autem, sicut eadem expositio subjungebat, prædictus Josephus Maria, Procurator Generalis illas pro firmiori earum subsistentia, exactiorique observatione Apostolicæ Confirmationis nostræ præsidio communiri summopere desideret. Nos ipsius Josephi Mariæ, Procuratoris Generalis votis hac in re, quantum cum Domino possumus, favorabilitèr annuere volentes, eumque à quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, alijsque Ecclesiasticis Sententijs, Censuris, & pœnis, à Jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, supplicationibus ejus nomine nobis super hoc humilitèr porrectis inclinati, Constitutiones præfatas in ijs tantum, quæ Sacris Canonibus, Concilij Tridentini Decretis, Constitutionibusque, & Ordinationibus Apostolicis, præsertim Reformationem dicti Ordinis, illiusque Fratres Reformatos, seu Recollectos, vel Discalceatos nuncupatos quomodolibet concernentibus, & quandocumque editis non adversantur, auctoritate Apostolica thenore præsentium confirmamus, & approbamus, illisque inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus, ac om-

nes,

nes, & singulos Juris, & facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus. Decernentes easdem præsentes litteras, ac Constitutiones, vt præfertur, semper firmas, validas, & efficaces existere, & forè, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis ad quos spectat, & pro tempore spectabit plenisimè suffragari, & ab eis respectivè inviolabilitèr observari; Sicque in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam Causarum Palatij Apostolici Auditores judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si secus super his à quoquam quavis auctoritate scientèr, vel ignorantèr contigerit attentari. In contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque. Datum Beneventi sub annulo Piscatoris die secunda Maji MDCCXXIX. Pontificatus Nostri anno quinto.

F. Cardinalis Oliverius.




CONS-

CONSTITUTIONES
PERCELEBRIS
CAPITULI GENERALIS
TOTIUS ORDINIS FRATRUM MINORUM,
CELEBRATI
IN VIGILIA SACRI FESTI PENTECOSTES;

JUXTA PRÆSCRIPTUM SERAPHICÆ REGULÆ

S. P. N. FRANCISCI,

Anno 1729. die 4. Junij in Conventu S. Angeli Mediolani.



IN DEI NOMINE AMEN.

HÆC EST TABULA CELEBERRIMI Capituli Generalis totius Ordinis Fratrum Minorum, celebrati in Conventu S. Angeli Mediolani in Vigilia Pentecostes anno 1729. die 4. Junij.



ELAPSO sexennio à novissimo Capitulo Generali, cum Reverendissimo Patre Fr. Laurentio à S. Laurentio totius Ordinis Ministro Generali infrà quartum gubernij sui annum ad apicem Cardinalatus evecto, ex speciali dispositione Sanctissimi Domini Nostri BENEDICTI Papæ XIII. per suffragia Patrum, & Discretorum Ordinis Romæ commorantium in Vicarium Generalem assumptus fuisset, & successivè ex Pontificio Rescripro Ministri Generalis titulo insignitus Reverendissimus Pater Fr. Matthæus à Pareta, Lector Jubilatus, Provinciæ Observantium Terræ laboris Ex Minister, & in Romana Curia Procurator Generalis actualis, suffecto in idem Procuratoris Generalis Officium Adm. Rev. P. Fr. Josepho Maria ab Ebora Secretario Generali Ordinis: in hoc demùm Generali Capitulo (quod quidem juxtà Sanctionem Capituli Romani 1723. Bononiæ celebrandum erat, rationabilibus tamen de causis cum placito Sedis Apostolicæ in hac perampla Civitate coactum est) præsidente eodem

Reverendissimo P. Matthæo de Pareta, Generali Ministro ex speciali dignatione Sanctissimi, qui quantum etiam ad præsidentiam hanc pro sua in pusillum gregem nostrum verè mirifica benignitate, omissa alia deputatione; Constitutionibus Ordinis locum fecit, conspirantibus omnium suffragijs in Ministrum Generalem totius Ordinis S. P. N. FRANCISCI ritè, & canonicè electus est Reverendissimus Pater Fr. Joannes de Soto, Provinciæ Regularis Observantiæ Immaculatæ Conceptionis Lector Jubilatus, Ex-Secretarius Generalis Ordinis, ejusdemque Ex-Procurator Generalis, & Familiæ Ultramontanæ, ac Indiarum Commissarius Generalis actualis.

Commissarius Generalis Familiæ Cismontanæ.

Reverendissimus P. Fr. Franciscus à S. Severino, Lector Emeritus, Ex-Procurator Generalis Reformatorum, & Minister actualis Provinciæ Principatus.

Pater utriusque Familiæ.

Reverendissimus P. Fr. Matthæus à Pareta, Lector Jubilatus, & Ordinis Ex-Minister Generalis immediatus.

Procurator Generalis Ordinis.

A. R. P. Fr. Bernardus Monterde, actualis Minister Provinciæ Aragoniæ Observantium.

Commissarius Generalis in Romana Curia.

Reverendissimus P. Fr. Joseph Maria ab Ebora, Provinciæ Romanæ Observantium, Lector Jubilatus, Ex-Procurator Generalis immediatus Congregationis Consistorialis, & Supremæ, atque Generalis Inquisitionis Consultor.

Pro-

Procurator Generalis Reformatorum.

A. R. P. Fr. Fulvius à Bononia Provinciæ Bononiensis Reformatorum, Lector Emeritus.

Procurator Generalis Excalceatorum, & Recollectorum.

A. R. P. Fr. Gildaldus Dulflos, Provinciæ Sanctæ Andreæ in Belgio Custos.

Diffinitores Generales Ultramontani.

A. R. P. Fr. Joannes Lasso, Lector Jubilatus, Provinciæ Bethicæ Observantium Ex-Minister, & Custos.

A. R. P. Fr. Petrus Polo, Lector Jubilatus Provinciæ Valentiæ Observantium Ex-Minister, & Custos.

A. R. P. Fr. Vincentius Zendra, Lector Theologus, & Minister Provinciæ Excalceatorum S. Joan. Baptistæ.

A. R. P. Fr. Godifredus Stuve, Minister Provinciæ Recollectorum S. Crucis in Saxonia.

A. R. P. Fr. Andreas Augustinus Bondet, Doctor Sorbonicus, & Magni Conventus Parisiensis Guardianus.

A. R. P. Fr. Albertus Counac, Minister Provinciæ Aquitaniæ inferioris.

A. R. P. Fr. Chrysogonus Castien, tertio Minister Provinciæ Recollectorum Immaculatæ Conceptionis in Gallia.

A. R. P. Fr. Romuldus Vandemale, Lector Jubilatus, & Minister Provinciæ Recollectorum Germaniæ inferioris.

A. R. P. Fr. Ferdinandus à Sancto Antonio, Lector Theologus, & Minister Provinciæ Immaculatæ Conceptionis Discalceatorum in Brasylia.

A. R. P. Fr. Andreas Cavallo, Minister Provinciæ Tertij Ordinis in Bethica.

Diffinitores Generales Cismontani.

A. R. P. Fr. Matthæus de Atina, Lector Jubilatus, & Provinciæ Terræ laboris Observantium Ex Minister.

A. R. P. Fr. Joannes Maria de Augusta, Lector Jubilatus, & Provinciæ Observantium Vallis Neti Ex-Minister, & Custos.

A. R. P. Fr. Joannes Jacobus de Vallico Provinciæ Romanæ Observantium, Lector Jubilatus, Ex-Secretarius Generalis Ordinis.

A. R. P. Fr. Camillus de Breno, Lector Theologus, & Minister Provinciæ Brixiæ Observantium.

A. R. P. Fr. Cherubinus de Capriata, Lector Jubilatus, & Provinciæ Observantium Genuæ Minister.

A. R. P. Fr. Joannes Capistranus Jovenski, Lector Jubilatus, & Provinciæ Observantium Poloniæ Majoris Ex-Minister, & Custos.

A. R. P. Fr. Franciscus Maria Spinelli, Provinciæ Reformatorum S. Angeli Ex-Minister, & Ex-Secretarius Generalis.

A. R. P. Fr. Carolus Maria de Novocomo, Lector Emeritus, Ex Minister, & Custos Provinciæ Mediolani Reformatorum.

A. R. P. Fr. Gentilis à Nicæa, Lector Emeritus, Ex-Minister, & Custos Provinciæ S. Thomæ Reformatorum.


A. R. P. Fr. Crescentius Krisper, Lector Emeritus, & Provinciæ Reformatorum Austriæ Minister.

Guardianus Hierosolymitanus.

A. R. P. Fr. Aloysius à S. Angelo, Lector Jubilatus, & Provinciæ Principatus Observantium Ex-Minister.

Antequam hæc Typis mandarentur, & vivis sublatus est Adm. Rev. P. Fr. Franciscus Maria Spinelli: Cumque ob ejus subrogationem quæstiones oriri prævideren-tur,

tur, Sanctitas Suá, vt ijs locum præcluderet, subrogandum censuit in Diffinitorem Generalem, prout per suum Breve subrogavit, & subrogatum declaravit Adm. R. P. Fr. Bernardinum á Pisticio Lectorem Emeritum, & Ex-Ministrum Provinciæ Basilicatæ Reformatorum.



FR. JOANNES DE SOTO, LECTOR JUBILATUS,

CATHOLICÆ MAJESTATIS pro Regali Immaculatæ Conceptionis Congressu Theologus, ac totius Ordinis Fratrum Minorum Minister Generalis, & Servus, &c.

OMNIBUS FRATRIBUS, ET MONIALIbus, Prelatis, ac Subditis nostre cure, & jurisdictioni vbique gentium commissis, & subjectis, vtramque salutem in eo, qui est vera salus, & plenam in Spiritu Sancto consolationem.

MOnituri vos, dilectissimi Fratres, de electione nostra in Ministrum Generalem totius Ordinis Fratrum Minorum communi, ac vnanimi consensu Vocalium ex toto Terrarum Orbe confluentium facta in Capitulo Generali Mediolani celebrato in Vigilia Pentecostes præsentis anni juxta Seraphicæ Regulæ

gulæ nostræ præscriptum; illud in primis à Vobis efflagitandum duximus, vt qui nos inter tot præclarissimos Viros, de Religione optimè meritos, eximijs, & virtutum, & sapientiæ ornamentis affatim cumulatos, ad tantum munus, & onus extulistis, vires paritèr auxilij vestri ad ipsum comportandum admoveatis, quam diligentissimè. Id quod eo operosiùs à vobis impensum iri certè confidimus, quo studiosiùs sincerè pensitamus non tam favorem arbitrij, quam confidentiam judicij vestri, quo tenuitatem nostram tanto oneri, ac honori idoneam potissimùm judicastis.

Ut autem apertiùs os nostrum pateat ad vos, & cor nostrum dilatetur, Sanctissimi Antecessoris nostri D. Bonaventuræ verba in sua Pastorali Epistolà Vobis subjicere veriùs cogimur, ijsdem compellamus ingenui animi omnimoda sinceritate: *Sarcinæ gravi, & quasi importabili humeros suppofuimus imbecilles, sperantes de adjutorio virtutis Omnipotentis, & confidentes de adminiculo vestrę sollicitudinis in idipsum. Nam etsi sit impossibile quantumcumque forti, industrio, & experto totam tanti oneris sarcinam suis humeris bajulare; si tamen divisa in partes, & humeris imposita diversorum viriliter à quolibet portetur, non est quantumcumque debili Capiti horrore quodam rei insolitę desperandum.* Certè quidem multa fiducia nobis est in vobis, nec aliam, quam de suis Subditis quondam jure merito præsumebat idem Sanctissimus Præsul, modo Nos de Vobis fidenti animo concipimus, & ob easdem, *& zeli vivacitatem, & sollicitudinem, & industriam* multis jam dudum nobis comprobatas argumentis, quod nimirum *prompti sitis ad extirpanda mala, promovenda bona, fovenda debilia, & fortia conservanda.*

Modo autem nostra clavum regiminis Seraphicæ, & amplissimæ tantæ Fraternitatis tenentium potissimum interest, & vestrum auxilium enixiùs, impensiùsque implorare, & sollicitudinem vestram vehementiùs commonere, vt super oves curæ vestræ concreditas sedulò invigeletis, excubiasque pervigiles agatis, injuncti Officij ministerium implentes in omnibus, assiduè laborando

do cùm obsecrationibus, tùm increpationibus, in omni patientia, & doctrina, tùm in primis operum exemplis, & factis desides, & pigrescentes primum excitando, & paternè admonendo; à bono verò opere torpentes, cum opus fuerit, arguendo cum imperio, vt resecatis sentibus, culta vndique tevirescat Religionis hæreditas, species illa plagiferi Jacob P. N. Francisci, quam singularitèr dilexit Deus, ac fœtu novæ Sanctitatis Prolis quotidiè mirificè multiplicat, & apprimè exornat. Ea propter cavendum vobis præsertim est, ne ob segnem diligentiam, & curam, aut ob minus sedulam vigilantiam vestram in Pomorum custodiam positam, velut olim Hierusalem, se derelictam ingemiscat, aut minus cultam, & sylvescentem deploret. Idcircò vestrum est, vt pervicaces, & obstinati omninò compescantur, & sylvescentes herbæ penitùs eradicentur à florentissimo Religionis Viridario, ne immista malorum obscuritas fulgentissimam Ordinis claritatem obtenebret, aut inficere valeat. Nec minus vestri muneris est, totis viribus fovere, & juvare eos, qui promissa in Regula examussim servantes Dei opus in Religione faciunt, quin etiam eo vnanimitatis studio super eos ad eximium laborem instare debetis, quo olim *Filij Juda quasi vir vnus instabant super eos, qui faciebant opus in Templum Dei*: Ut magisterio vestro copiosiores ad Dominum ascensiones in cordibus suis disponant, & ad fastigium perfectionis ascendant, præstito juvamine, & adjutorio vestro.

Sanè quasi vir vnus in commune Religionis bonum perficiendum tunc instare meritò judicabimur, cum in primis charitatis vinculis perfectè vniti, fraternam charitatis non fictæ pacem studiosè inquiremus, firmitèr insequemur, & si fortè fugiat, velocitèr persequemur juxta Davidicum monitum; cum sine illa, nec religio firma subsistet, nec vllum diù perstabit spirituale ædificium. Undè commonere vos, & obsecrare cum Apostolo Paulo compellimur, *vt nulla sint in vobis schismata; sed sitis perfecti in eodem sensu, & in eadem sententia, & supportantes invicem in charitate solliciti sitis servare vnionem in vinculo pacis.*

Etenim verò cum pax Christiana belligeratrix esse debeat, vt veram pacem in Religione servetis, fictam diaboli pacem, è medio tollere studete, perpetuum bellum fortitèr gerentes, & gladio strenuè pugnantes contra Leviathan illud, cujus *corpus quasi scuta fusilia, & compactum squamvis se prementibus*, graphycè designat ex D. Bernardo cohærentium nexum, & vnitatem *aliquorum Fratrum tepidè, & remissè conversantium, quibus si quid honestatis, aut insigne cujusdam consuetudinis persuadere velis, promptiores sunt majori dispendio, ac difficultate graviori resistere, quam facili compendio assequi, quod rectum esse constiterit.*

Profectò Nobis, qui Apostolicam vivendi formam ex regula profitemur exactius servandam, potissimum incumbit, vt per bona opera proximis nostris lucis exempla monstremus, *providentes bona*, vt monet Apost. *non solum coram Deo, sed etiam coram hominibus.* Id quod eo vigilantius, & operosius observabimus, quo reverentius, & formidolosius memoria recolemus fœdus illud initum, & commercium celebratum inter Fratres nostros, & Mundum, testante, ac indubiam fidem faciente SS. P.N. Seraphico, vt nimirum, *quando ipsi retraxerint bonum exemplum, fide mentita, retrahet mundus manus, juxta censura.* Certè sanè metuenda nimis est maledictio, quam Seraphicus Patriarcha noster imprecatur fædifragis, & ijs qui suo malo exemplo confundunt, ac destruunt, quod per Sanctos Fratres hujus Ordinis Deus ædificavit, & ædificare non cessat.

Cùm scientia paritèr ad Religionis decorem eximium, & vocationis nostræ munus adimplendum, necessaria, nedùm vtilis, proculdubiò censenda sit, omni prorsùs diligentia curandum est, ne vllo modo langueant, quinimò vernantissimè floreant, & accuratissimè excolantur earum litterarum studia, quæ & viros Religiosos apprimè decent, & ad populorum instructionem, Fideliumque Spiritualem directionem, necnon Ecclesiæ Catholicæ defensionem, ad hæresum confutationem necessaria sunt. Hæc enim, dùm Sanctæ orationis, & devotionis Spiritum Fratres non extinguat, nedùm non

à Seraphicæ Regulæ nostræ amussi desciscere noscuntur, quin potiùs vocationi nostræ cælitus inspiratæ prorsùs consentanea jure censentur, & necessaria. Quapropter ea omnia, quæ in Constitutionibus Ordinis providè circa litterarum studia conservanda, & promovenda ordinata sunt, seriò præcipimus ad vnguem servari, de eorumque diligenti observatione summo studio curabimus, desides, & ineptos à lectura repellentes; digniores, & aptiores ad magisterij lauream promoventes, & honores.

Nec minus sedulam curam adhibebimus, vt Ordinis munia, Dignitates, & Honores ij dumtaxat assequantur, qui suffragantibus meritis, cæteris ante stare, ac verè digniores legitimè probati sint, & aptiores, omnes vires maximè exerendo, vt via ambitiosis omninò præcludatur, imò & prorsùs exturbentur illi, qui instar pessimi Acham pallium Hierico furantis, per Sæcularium protectionem, & conquisitos favores contra Sacras Leges subripere conantur Ordinis Officia, & Dignitates, Religionem Sanctam scandalo perturbantes, ac nefas magnum facientes in Israel, & Dei populum anathemate contaminantes.

Ad hæc cum Superiores in primis monere debeamus his nostris paternis litteris, sanè salubriora consilia illis dare minimè valemus, quam ea, quæ Sacrosanctum Concilium Tridentinum Ecclesiæ Prælatis sapientissimè præstitit Cap. primo de Reformatione, eos, nimirum, primum admonendo, vt *se Pastores, non percussores esse meminerint, atque ita præesse sibi Subditis oportere, vt tamquam filios, & Fratres diligant, elaborentque; vt hortando, & monendo ab illicitis deterreant, ne vbi deliquerint, debitis eos pœnis coercere cogantur: Quos tamen si quid per humanam fragilitatem peccare contigerit, illa Apostoli ab eis servanda est præceptio, vt illos arguant, obsecrent, increpent in omni bonitate, & sapientia, cum sæpè plus erga corrigendos agat benevolentia, quam severitas, plus exhortatio, quam comminatio, plus charitas, quam potestas.*

Subditis vero nostris ea verba D. Pauli paterno

 affec-

affectu submittimus: *Obedite Prępositis vestris, & subjacete eis. Ipsi enim pervigilant quasi rationem reddituri pro animabus vestris, aut cum gaudio hoc faciant, & non gementes.* Igitur diligentissimè advertite, Fratres charissimi, quod vobis ipsis detrimentum infertis non modicum, ac super vos ipsos onus grave imponitis, dolore in caput vestrum converso, dum non spontè, sed quasi coacti subjecti estis, laborantes vt servi mercede conducti, non tamquam filij liberè, promptè, & spontaneè. Sanè Prælati jure gemunt ab onere regiminis, dum suos labores irritos, & frustraneos esse vident, vel ob duritiam Subditorum, vel ob neglectam legum observantiam, & debitam reverentiam. Fugite itaque quam longissimè illorum vestigia, qui, vt quondam ajebat Bonaventura, *monstruosum quemdam statum eligentes inter vitam activam, & contemplativam, non tam carnalitèr, quam crudelitèr sanguinem comedunt animarum.* Ergo noscite militiam, cui nomen dedistis, fortitèr dimicate; & contendite per angustam portam intrare, licet enim arcta sit via, & alta, quæ ducit ad vitam, si tamen duci vos libentèr sinatis per semitas æquitatis, cum ingressi fueritis, non arctabuntur gressus vestri, & currentes non habebitis offendiculum, vt dicitur quarto Proverbiorum. *De cætero, Fratres, quæcumque sunt vera, quæcumque pudica, quæcumque amabilia, quæcumque bonæ famæ, si qua virtus, si qua laus disciplinæ, hęc cogitate,* vt faciatis, & sequamini.

Cum etiam Pastoralis muneris solicitudo ad revocandas oves, quæ perierint, intendere maximè debeat; & ex inventis ovibus gaudium boni Pastoris accrescat plurimùm, omnes Apostatas nostræ Religionis, qui tamquam deperditæ oves vagi, & profugi per devia errant; paternis misericordiæ visceribus amplecti desideramus, & ad causam gregum revocare, condonantes eis omnes pœnas ratione apostasiæ ex præscripto legum infligendas, dummodò intra spatium quatuor mensium ab harum litterarum publicatione se præsentent suis Provincijs: quibus elapsis, nulli præsens suffragabitur gratia, sicut nec illis, qui in confidentiam harum litterarum,

post eas intimatas deliquerint; quinimò tan contra ipsos, quam contra alios quoscumque sui status desertores omni juris rigore procedemus.

Denique vt gratitudinis nostræ debita pro viribus persolvamus; cùm Religio nostra eo magis adstricta sit beneficijs Principum, quo in Terris degens pauperior ab ipsis cumulatiùs muneribus oneratur, & gratijs, omnes curæ nostræ subjectos exhortamur vehementèr in Domino,& præcipimus, vt omnes, continuis apud Deum effusis precibus, maximè commendatos habeant. In primis autem Deum exorare debemus pro incolumitate, ac diutina conservatione vniversalis Ecclesiæ Pastoris,Sanctissimi Domini Nostri BENEDICTI XIII. cui potissimùm Religio nostra se devinctam quam arctissimè agnoscit ob ejus singularem, paternamque erga ipsam dilectionem; cum gratiarum, & beneficiorum ingenti effusione conjunctam: deindè sine intermissione orare pro Fidei exaltatione, pro victoria contra Infideles, pro pace Christianorum Principum, ac pro eorum salute, felicitate, prosperoque gubernio. Postremò pro majori spirituali incremento Religionis nostræ humillimas Deo effundite preces, & jussa in Statutis Generalibus Ordinis suffragia exactè implete, ac memores nostri sitis in Orationibus, & Sacrificijs. Interea Nos in nomine SS. Parentis N. Francisci Vobis omnibus Seraphicam impartimur benedictionem in Nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti.Dat.Mediolani in hoc Conventu Sancti Angeli die 15. mensis Junij anni 1729.

Fr. Joannes de Soto,
Minister Generalis.

Loco ✠ Sigilli.

De mandato suæ Paternitatis Reverendissimæ,
Fr. Dominicus Lossada,
Secretarius Generalis Ordinis.

CONS-

CONSTITUTIONES GENERALES

PRO UTRAQUE FAMILIA.

1 REdduntur gratiæ à toto Capitulo Generali Sanctiſsimo D. N.D. BENEDICTO Papæ XIII. pro innumeris beneficijs vniverſo Ordini collatis, ejuſque impenſiſsimo, ac verè Pontificio amori ſe debere gaudet marmoreum Simulachrum S. P. N. Franciſci in Vaticano Templo excitatum, Ordinis faſtos multiplici Beatorum, ac Sanctorum apotheoſi decoratus, & auctos, Sacræ Purpuræ decus generali Miniſtro bonæ memoriæ Eminentiſsimo Cozzæ, ac per ipſum Ordini vniverſo conceſſum, innovatam Bullam Pij V. pro omnimoda à vectigalibus exemptione, Prædeceſſorum privilegia Apoſtolicæ confirmationis munimine reſtituta: & quia operoſum foret ſingula commemorare, tanto Pontifici, ac Patrono iterum, iterumque gratias exhibet immortales, quod inter cætera ſuæ beneficentiæ teſtimonia, regularem diſciplinam per ſuam Bullam: *Univerſalis Eccleſiæ regimini* egregiè adjuverit, ipſiuſque clementia rogatur pro ſua in Nos beneficentiſsima voluntate, vt juxta Conſtitutiones Ordinis eandem Bullam à nobis ſervari velit.

2 Statuta facta in præterito Generali Capitulo, & à Sanctiſsimo Domino Noſtro confirmata executioni mandentur, & imprimantur.

3 Decernitur ſupplicandum eſſe Sanctiſsimum Pontificem, vt reducatur ad antiquum ſtatum deputatio Officialium Curiæ caſu quo intrà tempus Officij ex hac vita decedant, vel renuncient.

4 Supplicetur Sanctiſsimus ab Officialibus Curiæ pro moderatione vacantiæ Officiorum Generalium à

minoribus ad majora, necnon pro moderatione Bullæ expulsionis incorrigibilium ad normam Statutorum antiquorum.

5 De mandato Summi Pontificis Definitorium Generale statuit, vt omnes Sancti, qui ex hac vita migraverunt ante divisionem Ordinis, denominentur solummodo Sancti Ordinis Minorum absque alio addito: Qui verò postea decesserunt inter Observantes, Excalceatos, Reformatos, Recollectos, Conventuales, & Capucinos denominentur nomine appropriato cuique membro.

6 Intimantur denuò Statuta Generalia omnem cantum præter Gregorianum nostris Fratribus prohibentia: cumque de hoc habeatur mandatum Sanctissimi Domini Nostri Benedicti Papæ XIII. de mense Decembris 1726. encyclicis Reverendissimi P. N. Ministri Generalis præteriti per omnes nostras Provincias promulgatum sub die 8. Martij anni 1727. statuitur, vt omnes Religiosi, tàm Observantes, quàm Reformati, Discalceati, Recollecti, ac Tertij Ordinis Ministro Generali subjecti in Officio, & Missa Conventuali præfato cantu Gregoriano vtantur saltèm diebus festis, præsertim solemnibus, sub pœna privationis vocis activæ, ac passivæ Superioribus Localibus, si contra fecerint.

7 Commendat summoperè Capitulum Generale Superioribus Generalibus, & Officialibus Curiæ, vt apud Sanctam Sedem Apostolicam promovere studeant causam Venerabilis Doctoris nostri Mariano: Subtilis Joannis Duns Scoti in ordine ad Beatificationem, & Canonizationem.

8 Statuantur pro vtraque Familia Agentes Generales pro Causis Beatificationis, & Canonizationis Sanctorum nominandi à Superioribus Generalibus respectivè, qui habeant curam, & directionem in ipsis Causis, eisdemque reddatur ratio semel in anno à Postulatoribus particularibus de expensis factis, & de eleemosynis perceptis, quas communicare debent etiam Superioribus Generalibus, & Officialibus Curiæ.

9 Reformetur Breviarium Ordinis quoad Officia

pro-

propria, & ritus; itemque Missale, & Rituale dispo-nantur ad vsum nostrum: quorum cura committitur Reverendissimo Patri Josepho Mariæ ab Ebora Commissario Generali Curiæ.

10 Præcipitur insuper, quod pluries præceptum fuit, Observantia nimirum Cæremonialis Ecclesiastici pro toto Ordine olim promulgati: Cumque expediat, vt etiam quantum ad cæremonias in Conventibus, Choris, & Refectorijs observandas habeatur congrua methodus, & conformitas vniversalis; mandatur vt in Compilationibus Statutorum apto loco inseratur conformitèr ad Statuta jam facta, & ab vtraque Familia inviolabilitèr observetur.

11 Promoveatur in omnibus Conventibus Confraternitas Immaculatæ Conceptionis Ordinis nostri Patronæ, & fiat methodus pro illius directione.

12 Statuta item pro Tertio Ordine Sæculari dirigendo, cujus incrementum Superioribus enixè commendatur, sint in omnibus Provincijs communia juxta Bullam novissimè emanatam.

13 Quamvis Fratres Minores ex instituto omnia exercitia charitatis, humilitatis, & modestiæ erga omnes Personas Ecclesiasticas, Regulares, & non Regulares, ità exhibere debeant, vt in nostra conversatione nihil aliud experiantur, quàm humilitatis indicia, & Officia servitutis, & reverentiæ obsequia; tamen cum præclarissima Religione Prædicatorum speciale tenentur habere fraternitatis commercium, tùm ob Sanctissimorum Patriarcharum conjunctissimæ sacræ amicitiæ nexum, tùm ob vtriusque Ordinum simultaneum, ac eundem finem, ortum, & progressum, quos vt gemellos in Mundi reparatione Ecclesia Sancta, vt fœcunda Mater, produxit.

14 Hinc Sanctissimum Patrem nostrum Dominicum majori Nobis permisso cultu celebrare debemus, ejusdem Sanctissimi Patriarchæ Successori Generali Magistro eandem obedientiam, reverentiam, & obsequia, quæ Ordinis nostri Ministro à nostris exhibetur, impendi exoptamus.

Hinc

15 Hinc quoque præcipimus omnibus Prælatis nostri Ordinis, vt quoties prædictus Reverendissimus Pater Magister Generalis accesserit ad Civitates, aut Oppida, in quibus Conventus habemus; si in eis non fuerit Conventus sui Ordinis ab eo enixè petant, vt in nostris sic, vt in proprijs hospitari velit, cui adhuc majora reverentiæ, & servitutis obsequia præstabunt, quam nostro Ministro accedenti exhiberent: Si verò Conventum sui Ordinis habeat, & ad eum accedat, tota Communitas Conventus nostri in illum opportuno tempore pergat ad eum excipiendum, ipsi obedientiam præstandum, & ab eodem Benedictionem S. P. N. Dominici recipiendum.

16 Similitèr quotiescumque Fratres Ordinis Prædicatorum quicumque ad nostros Conventus, vt Hospites accesserint, velut Fratres nostri Ordinis benignè recipiantur, & charitativè, ac perhumanitèr tractentur. Et ne nimia ipsorum modestia accessum retardet, à Prælatis Localibus non solùm invitentur, sed supplicitèr cogantur accedere.

17 Obsequia autem nostræ servitutis, & fraternitatis indicia erga hunc Sacrum Ordinem, non sunt collocanda in rebus, quibus abuti potest etiam injuriosus affectus, sed in illis, quæ possint sinceritatem ostendere, charitatem radicare, firmare societatem, corroborare pacem, & mentes vnire in Dei placitum, & ædificationem Fidelium: Proindèque Fratres Minores tenentur Religionis Prædicatorum progressus, incrementa, & honorem verbo, & opere sollicitare, quasi vtrique Religioni jure fraternitatis communia.

18 Et ne ex parte nostra vlla cujusvis discordiæ occasio detur, præcipimus omnibus Fratribus nostri Ordinis sub pœna privationis Officiorum, & alijs Superiorum arbitrio infligendis, ne deinceps in controversijs Scholasticis verbo, aut scripto minus reverentèr taxent notis, censuris, aut exaggerationibus opiniones à Thomistica Schola communitèr secutas, nec alicui illarum notam vllam impingant; nam multoties inimicus ludit Scholarum ludis in præjudicium fraternæ societatis;

negotia namque Scholastica non sunt tractanda exaspe-ratione puerili, sed candore mentis cum modestia ver-borum, & ponderatione rationum.

19 Si autem aliquis Frater nostri Ordinis (quod Deus avertat) tentaret scribere, aut loqui contra Sa-crum Ordinem Prædicatorum, aut inter eum, & nos-trum zizaniam, aut discordiam seminaret, in easdem pœnas censeatur incursus, quæ in nostris Statutis con-tra turbatores pacis, & infamatores nostri Ordinis san-ciuntur.

20 Statuitur, vt quælibet Provincia deputet Reli-giosum capacem, qui componat Chronicam propriæ Provinciæ.

21 Deinceps nullum opus Typis mandetur ab vllo Religioso, nisi revisum de licentia Superioris Generalis tum sub expresso nomine, cum etiam sub nomine pal-liato sub pœnis taxatis per Statuta generalia, & alijs Superiorum arbitrio.

22 Quoniam invaluit apud non satis compotes status nostri, quod Religiosi, qui profitentur Regula-rem Observantiam S. P. N. Francisci, ob æquivocatio-nem ex vocabulis oriri natam, appellentur etiam in Tri-bunalibus, ac scripturis publicis, Fratres Minoris Ob-servantiæ S. P. N. Francisci; præcipitur, vt in futurum relicta simplici appellatione Minorum de Observantia se ipsos nominent, & ab alijs appellentur juxtà Bullam Unionis, vel absolutè Fratres Minores, vel Fratres Re-gularis Observantiæ ejusdem Seraphici S. P.

23 Declarat Capitulum Generale, vt Officiales Curiæ Romanæ pro itinere ad Capitula Generalia sub-sidium recipiant à suis respectivè Provincijs, sicuti pro Definitoribus Generalibus cautum est.

24 In omnibus materiebus arduis, & gravibus, tàm Minister Generalis, quam Commissarius Generalis con-sulant Patres Ordinis, si commodè haberi possint.

25 Dum ad subrogationes per Statuta vocatur Pater dignior in Provincijs cum illa clausula: *Dum-modò non sit perpetuò impeditus*; declaratur impedi-mentum illud, quod faceret Patrem hujusmodi non posse,

posse, eligi, non debere pariter facere, vt nequeat subrogari.

26 Statuitur, vt Scriptores, qui inserviunt Curiæ Superiorum Generalium per octo annorum spatium, connumerentur inter Patres aggregatos, & paritèr illi, qui deinceps per id tempus inservient. Qui verò inservient inter Reformatos, habilitentur ad gradus vsque ad Custodiatum.

27 Pro Tertiarijs nostris Conventibus inservientibus statuitur, vt adhibitis circunstantijs debitis Novitiatum faciant, & Professionem emittant Tertij Ordinis S.P.N.Francisci: idque inchoent post quatuor annos à sui habitus susceptione, vsque dum gravi aliquo motivo expellendi sint à Conventibus, vel Provincijs; vti justa causa vrgente eos à Ministris Provincialibus expelli præcipitur, subtrahatur eis habitus, quo in Religione vtebantur, & sub Sæculari vestitu etiam post Professionem prædictam dimittantur.

28 Decernitur, quod decedente ex hac vita Illustrissimo Garcia Episcopo Seguntino, & olim Ministro Generali, fiant suffragia pro ipsius anima, sicuti solent fieri talibus ex Ministris decedentibus à vita in Religione: & deinceps fiant omnibus, qui Ministri Generales fuerint, etsi ad Episcopatum ascenderint, vel Cardinalatum.

29 Statuitur, vt morientibus Duce de Infantado, ejusque Conjuge inter Fratres Ordinis adscriptis, Superiores Generales commendent eorum animas omnibus Fratribus, quatenùs pro ijsdem suffragentur.

30 Locus designandus pro futuro Generali Capitulo relinquitur arbitrio Reverendissimi Patris Ministri Generalis.

PRO CISMONTANA FAMILIA.

31 PRoposita ex facultate Sanctissimi Domini Nostri moderatione Brevis Clementis PP. XI. super præmio conferendo Lectoribus Linguæ Arabicæ, Sanctissimus approbavit.

 bicæ,

bicæ, Definitorum Generale censuit si Sanctitati Suæ placuerit, quod si hujusmodi Lectores jam acquisierint graduationem inter ex Diffinitores; connumerentur completo octavo anno inter ex Custodes; Si autem alia graduatione non gaudeant, solum inter ex Diffinitores locum habeant.

32 Quantum ad Lectores Controversiarum Definitorium Generale censuit, si Sanctissimo placuerit, quod si non fuerint Lectores Jubilati, legant per duodennium, eoque completo gaudeant privilegio Lectorum Jubilatorum: Si verò fuerint Jubilati legant per sexennium; & postea connumerentur inter Patres Provinciæ, seù inter Lectores Jubilatos de numero, quoad præcedentiam dumtaxat sine jure subrogandi,

33 Definitorium Generale decrevit observandam esse vbique locorum Bullam præcedentiæ Observantium supra Reformatos sub pœna privationis vocis activæ, & passivæ infligenda Superioribus contrafacientibus, & carcerationis per tres menses infligenda Subditis renuentibus.

34 Lectoribus novissimè permissis ex oraculo Sanctissimi Domini Nostri Benedicti XIII. vt juvenes secundum Novitiatum agentes litteras humaniores doceant, assignatur præcedentia, quæ Lectoribus Artium per Statuta competit, & post expletum Lecturæ suæ decennium cum duabus Lectionibus quotidianis, & absque vlla interpolatione, privilegijs gaudebunt Patrum aggregatorum: inter Reformatos verò etiam ad Provincialatum sint habiles.

35 Ad Cultum Divinum, vt convenit, magis promovendum decernitur, vt etiam pro Conventibus inferioribus à Ministro Provinciali deputetur moderator Chori, qui devotus sit ad dirigendam psalmodiam, & peritus ad cantum moderandum.

36 Si alicubi Libri Chori habeantur, qui non secundum emendationem Romanæ Ecclesiæ fuerint reformati, præcipitur, vt quamprimùm ad emendationem debitam reducantur.

37 Quod aliàs Statutum fuit in præmium Chori

Ara-

Ara Cœlitani moderatorum; extenditur omnibus alijs, qui inserviunt Choro vni, & principaliori Conventui vniuscujusque Provinciæ, dummodò tamen alij inserviant per decem annos.

38 Cum pium exercitium, quod appellatur *Via Crucis*, etiam ex indulgentijs applicabilibus pro Defunctis tanti momenti sit, & Ordinis nostri ex indulto Sedis Apostolicæ quodammodo characteristicum, præcipitur, vt apud omnes Conventus, vel intra Ecclesiam, vel extra ipsam pro locorum capacitate singulis diebus Dominicis alijs necessarijs functionibus non impeditis per Religiosum ad id in Capitulis, vel Congregationibus deputandum, sedulò habeatur; etiam omissis alijs functionibus ad devotionem Populi excitandam, quæ dudum in eisdem Ecclesijs introductæ inveniantur.

39 Deputetur vnus tantùm Postulator pro Causis Sanctorum Observantium ex Observantia, & pro Causis Sanctorum Reformatorum vnus dumtaxat Postulator ex Reformatione.

40 Renovantur Statuta præcipientia, vt Sabbatis non impeditis cantetur Missa solemnis de Immaculata Conceptione, & innovantur etiam pœnæ sancitæ contra inobservantiam dictorum Statutorum.

41 Patribus Vice-Commissarijs Generalibus, qui non totam Familiam, sed vnum tantum membrum ejus ad biennium completum gubernabunt, servatur expleto Officio titulus Reverendissimi, quo etiam in actuali munere vti, & frui debeant, & assignatur pro sua graduatione locus immediatus post Commissarios, & etiam post Vice-Commissarios totius Familiæ, si qui fuerint.

42 Ut Officia per Definitorium in Provincijs collata absque legitima Causa ab eodem Definitorio probanda non recusetur, primum injungitur assumptis ad ipsa, vt ea acceptent; tum inculcatur Superioribus Provinciarum, vt per pœnas sibi arbitrarias ad acceptationem debitam eosdem cogant, ac demùm eisdem Superioribus mandatur, vt resignantes Officia sibi collata remoto omni prætextu, & excusatione infallibilitèr à locis amoveant, in quibus permanebant, & quotiescumque

quis

quis ab vno Conventu ad alium transit quomodocumque de Familia, aut longo tempore ibi habitaturus, præcipitur ipsi, vt Cellam, à qua recessit Communitati resignet, pœnas alias in proprietarios sancitas subiturus ad arbitrium Superioris Localis.

43 Dum Statuta generalia præscribunt, quod post trinam parem ballottationem præses vtatur voto decisivo, declaratur de trina ballottatione supra eundem cadente intelligenda esse.

44 In Provincijs habentibus ex auctoritate legitima alternativas statuitur, vt deficiente in Definitorio aliquo Patre, non subrogetur loco ipsius Pater dignior Provinciæ, sed dignior illius partis, in qua defectio accidit.

45 Qui per sexennium continuum laudabilitèr fuerint secundi Magistri Novitiorum, eligi possint in primos Magistros eorumdem, etiamsi triennio Guardiani non extiterint, dummodò eis aliæ conditiones non desint ad Magistros hujusmodi requisitæ.

46 Statuitur quod Officium Magistri Novitiorum inter Reformatos habilitet ab omnes gradus in Provincia, & quod illi, qui per duodennium tale Officium exercuerint, præcedant immediatè post Diffinitores actuales.

47 In vnaquaque Provincia servetur quantum ad acceptationem Novitiorum æqua illa distributio, vt pro vnoquoque districtu Provinciam componente Juvenes ad numerum congruum acceptentur, aliàs commendantur summoperè Superioribus Generalibus, vt acceptationibus per Definitorium non ita factis denegent consensum suum.

48 In paritate votorum, dùm tertia vice feruntur pro Novitijs ad professionem admittendis, statuitur vt absque vlla vlteriori computatione Novitius expellatur, nisi alitèr in Domino censuerit P. Provincialis, qui in hoc votum decisivum habere, vel aliam computationem imponere valeat.

49 Ut Clerici in professorijs degentes majori solicitudine dirigantur, præcipitur vt eorum Magister sit semper distinctus à Vicario Conventus.

Con-

50 Concionatores clarissimi, & Prædicatores insignes semel in quadriennio teneantur concionari in suggestis nostri Ordinis juxta dispositionem faciendam à Superiore Generali.

51 Actualibus Guardianis nostrorum Conventuum, & Confessarijs Monialium Ordini subjectarum interdicitur, ne vllo pacto deserant munus suum ob Conciones, sivè per Adventum, sivè per Quadragesimam habendas, nisi ad eas in principalioribus Urbium suggestis fuerint destinati.

52 Tempus deferendi, & deponendi mantellum, seù pallium relinquitur arbitrio Superiorum Localium, sed præcipitur, quod in vnoquoque Conventu omnes simul pallium assumant, simulque deponant, ne in functionibus Communitatis difformitas vlla fit.

53 Statuit Definitorium Generale, vt deinceps nemini ex Clericis liceat petere Breve Apostolicum pro suscipiendo Sacerdotio, sed id pertineat ad Provinciam, vel ad Conventum, in quo sunt de Familia, & transgressores puniantur.

54 Nullo vnquam tempore, & nullo prorsùs prætextu impensæ Conventuum pro Religiosis alendis, & sustentandis fiant titulo, seù sumptu aliquo particulari, vel Guardiani, vel Præsidentis, vel Vicarij, sed semper titulo Communitatis per Syndicos Apostolicos omnia recipiantur, & expendantur sub pœna in proprietarios inflicta, si qui contrarium attentaverint.

55 Fratribus, qui incorporantur in Provincijs, non concedatur incorporatio à die habitus, nisi alitèr videatur Superioribus Generalibus inspectis incorporandorum gradibus, & qualitatibus, quæ omninò debent esse singulares, vel in Provinciarum commodum, & vtilitatem.

56 Quantum ad litteras obedientiales, quæ conceduntur Religiosis à Superioribus Generalibus, renovatur Statutum editum pro Familia nostra in Capitulo Generali anno 1688. & quoad observantiam ipsius conscientia Superiorum Generalium, vt convenit, oneratur.

In-

57 Injungitur omninò Superioribus Localibus, vt videant, legant, observent litteras omnes obedientiales omnium Religiosorum etiam quomodocumque graduatorum ad eorum Conventus accedentium, & animadverso, quod vel tempus præscriptum in ipsis præterierint, vel quod notabilitèr declinaverint à via itineris sui, sint obligati denunciare eos vti apostatas, prout alias per Constitutiones Ordinis cautum fuit: & omninò præcipitur eisdem Superioribus Locorum, ne præfatum tempus in obedientialibus assignatum prorogare audeant quovis prætextu Subditis suis ab eorum Conventibus discessuris sub pœna suspensionis ab Officio ipsofacto incurrenda, alijsque ad arbitrium Superioris Provinciæ, omni excusatione postposita, infligendis.

58 Peregrinationes Fratrum prætextu visitandi Sanctuaria à Ministris Provincialibus prohibeantur, nisi sciant Fratres peregrinaturos esse sine scandalo, & ad præscriptum regulæ, & Superior Generalis raró has litteras concedat.

59 Declaratur, quod vacationes concessæ per Statuta generalia Ordinis intelligantur de vacationibus solummodo à Studijs; ac propterea omnes aliæ vacationes, quæ potiùs sunt perniciosissimæ evagationes, omninò prohibentur, coarctata quoad hoc non tantum Visitatorum, sed etiam Superiorum Provincialium auctoritate; eademque quoad Clericos in Professorijs, seù Seminarijs degentes penitùs sublata.

60 Innovantur Statuta de galeris, biretis, chordis, & vsu calceamentorum strictè præcipiendo Superioribus Provincialibus, & Localibus eorum observantiam, vtque invigilent, ne in bacculis etiam, & capsulis pro tabacco vlla curiositas appareat, & omnis omninò eliminetur corruptela in chirotecaveis, manicaveis, & in strophijs sericis, sicut decet sanctæ humilitatis, & paupertatis professores.

61 Renovatur inhibitio omnis lusus à jure prohibiti sub pœnis per Statuta sancitis.

62 Cùm in Provincia Observ. Bononiæ sint quinque Studia Generalia cum pauco numero Studentium,

De

Definitorium Generale decrevit, vt dicta Studia reducantur ad quatuor, & quod eorum supprimendum sit, remaneat arbitrio Superioris Generalis.

63 Declaratur Provincia Regularis Observantiæ Principatus intrà cathegoriam MagnarumProvinciarum, cum ex triginta Conventibus componatur; Sicut etiam omnes aliæ Provinciæ ex triginta Conventibus constitutæ declarantur.

64 Alternativa in Provinciam Regularis Observantiæ S. Bernardini ab anno 1686. authoritate legitima introducta ad evitanda dissidia, quæ ab ejus inobservantia oriri possent, præcipitur, vt in suis primævis terminis firma, ac stabilis præserveret.

65 Cum Provincia S. Salvatoris in Hungaria statuerit alternativam, tùm in electionibus, tùm in subrogationibus, & substitutionibus, & eandem confirmari exposcat, Definitorium Generale annuit juxtà petita, ità vt dicta alternativa non tam in electionibus, sed etiam in substitutionibus, & subrogationibus observetur.

66 Instante Provincia S. Salvatoris Strictioris Observantiæ in Hungaria, vt Satuta sua municipalia in vnum corpus jam redacta authoritate Capituli Generalis confirmentur, remittit idem Capitulum Superiori Generali Familiæ negotium hoc, vt adhibita revisione opportuna etiam nomine suo confirmet, dummodò non adversetur Statutis Generalibus Reformatorum.

67 Attenta diversitate nationum Provinciam Minoris Poloniæ de Regulari Observantia componentium, simulque inspectis magnis distantijs Conventuum ipsius difficillimas reddentibus eorum visitationes: Capitulum Generale instantiæ inhærens Lithuanorum eandem Provinciam in duas dividit, assignans vni Conventus per Poloniam constitutos, eidemque servans titulum Poloniæ Minoris, locumque in serie Provinciarum Provinciæ Poloniæ Minoris competentem; & attribuens alteri Conventus in Lithuania positos, eandemque denominans Provinciam Lithuaniæ.

68 Ad instantiam Provinciæ Observantiæ Bosnæ

bus, quamvis eisdem vocalibus deficiant aliquæ qualitates ad id à Statutis præscriptæ, & hoc in gratiam longi itineris, magni laboris, & plurimorum periculorum.

79 Definitorium Generale congregatum die 12. Junij pendentibus Actibus Capituli Generalis decrevit Pro-Ministris, & Custodibus Ultramontanæ Familiæ, qui suffragati sunt in hoc Capitulo Generali, deberi nedùm præcedentiam eis aliàs concessam, sed etiam jus subrogationis.

80 Minister Generalis in deputatione Commissarij Generalis Nationis Germano-Belgicæ consulat Patres Definitores Generales ejusdem Nationis super subjecto deputando.

81 Determinat Definitorium Generale, quod si in Natione Germano-Belgica convocatis, & convenientibus jam ad Capitulum celebrandum PP. Vocalibus mori contingat Commissarium Nationalem, (nullo alio designato Capituli Præside) in eo casu spectet ad Ministrum Provinciæ, in qua Capitulum jam celebrandum instat, eidem suæ Provinciæ Capitulo præsidere.

82 Proposita lite adhuc vertente inter Provinciam Angelorum de Observantia, & Provinciam S. Gabrielis Excalceatorum in Hispania quantum ad jus suffragandi in electione Vicarij, aut Vice-Commissarij Generalis habenda Matriti, vel in Provincia Castellæ, Definitorium Generale decernit, Provinciam Angelorum manutenendam esse in sua possessione, & Provinciam S. Gabrielis super hac re non esse ampliùs audiendam.

83 Pro Provincia Algarbiorum, in qua juxta abusum præcedunt Prædicatores etiam juvenes Confessarios quamvis graduatos, Statuitur, vt hic abusus magnus, & corruptela gravis omninò tollatur, & vt serventur Statuta de præcedentia.

84 Quantum ad præcedentiam inter Fratres Clericos, & Laicos Provinciæ S. Mariæ Magdalenæ Recollectorum in Gallia, qui jam professi sunt, servetur pro modo consuetudo.

85 Lectores Theologiæ Provinciæ Majoricarum, com-

completo duodenio, & adepta prima jubilatione, & si protrahant suam lecturam; non gaudeant secunda. Proindè observandum est Statutum Generale, editum super hac re à Capitulo Generali Romano anno 1723, nempè vt obtenta prima jubilatione, à lectura amoveantur.

86 Provincia S. Nicolai Lotharingiæ novitèr erecta adscribitur Cathalogo Provinciarum Ordinis.

87 Definitorium Generale decrevit erigendos esse in custodiam sex Conventus Provinciæ S. Bonaventuræ in Sabaudia existentes: Liberumque sit PP. & FF. Gallis degentibus in præfatis Conventibus transire ad alios Conventus ejusdem Provinciæ extra Sabaudiam positos, & è converso PP. & FF. Sabaudis ad dictos Sabaudiæ Conventus accedere.

88 Pro revisione, & correctione Compilationis Statutorum deputantur Ad. R. P. Thomas Montalbus, & Ad. R. P. Antonius Duro, Ex-Definitores Generales, atque Ad. R. P. Dominicus Lossada, Secretarius Generalis Ordinis.

PRO TERRA SANCTA.

89 CUM præmia laboribus proportionanda sint, statuitur, vt Commissarij Terræ S. Matriti, Parisijs, Viennæ in Austria, & Romæ collectioni eleemosynarum adlaborantes, post expletum duodennium gaudeant privilegijs PP. Provinciæ quo ad precedentiam, & Paternitatem tantum. Quo ad alios verò Commissarios ejusdem Terræ Sanctæ longè minoribus laboribus ex suis Officijs obligatos, sicuti per Statuta Generalia decretum alias fuit, vt octonnales vltimum locum habeant inter eos, qui fuerunt Definitores, ità statuitur nunc, vt qui in posterum duodennales fuerint, inter eandem Cathegoriam Ex-Definitorum primum locum obtineant; nec ipsi vnquam (vt olim per ordinem præceptum fuit) arrogent sibi titulum Commissarij Generalis pro Terra Sancta.

90 Ad excavendas expensas inutiles, & præjudicium inde oriri natum pro Terra Sancta præcipitur Commissarijs ejusdem Terræ Sanctæ per Italiam constitutis, vt imposterum non mittant nisi de triennio in triennium, vel ad summum de biennio in biennium eleemosynas, quas in suis commissionibus collegerunt; exceptis illis, qui hactenus consueverunt mittere quoque anno res in propria specie pro vsu, & servitio Religiosorum ibidem degentium necessarias, & quoad illos pariter commendatur eis, ad quos pertinet in Terra Sancta; vt quantum ad ordinandas præfatas res, præsens habeant Statutum illud pro expensis inutilibus evitandis; & quo ad seligendos Religiosos pro eleemosynis, & rebus prædictis in Terram Sanctam deportandis injungitur Definitorijs Provinciarum, in quibus respectivè isti Commissarij resident, vt matura discussione præhabita determinent quos magis idoneos judicaverint.

91 Quantum porrò ad Residentiam istorum Commissariorum Terræ Sanctæ per Italiam constitutorum; Sancitur, ne in Conventibus vel Novitiatus, vel Recollectionis ea sit, cum ex Officijs suis ab observantia Disciplinæ in ejusmodi præsertim Conventibus omninò habendæ prædicti Commissarij legitimè excusentur.

Defunctorum numerus.

Ab vltimo Generali Capitulo vsque ad præsens obierunt in Domino ex Familia Ultramontana Fratres ; Moniales : Ex Familia Cismontana Fratres 4070. Moniales 730. Neque silentio prætereunda mors Eminentissimi Principis Laurentij Cozzæ, Ordinis Ex-Ministri, qui die 18. Januarij hujus anni 1729. in Conventu S. Bartholomæi de Urbe mortalitatem explevit.

Sequuntur Suffragia.

Pro Sanctissimo Domino Nostro Benedicto Papa XIII. ejusque ad multos annos incolumni sospitate, singuli Sacerdotes tres Missas legant.

Pro omnibus Principibus Christianis Ordinem nostrum in Ditionibus suis tuentibus, & promoventibus, singuli Sacerdotes legant similitèr Missas tres.

Pro Eminentissimo, & Reverendissimo Domino D. Laurentio, Cardinali Corsino, apud Sanctam Sedem, Ordinis Protectore, vnusquisque Sacerdos recitet vnam Missam.

Pro Excellentissima Ducissa de Naxera, cujus beneficentia expensæ pro Generali Capitulo fuerunt factæ, Sacerdotes omnes celebrent vnam Missam.

Pro felici statu nostræ Seraphicæ Religionis, & Apostolici Ordinis Prædicatorum, duæ Missæ à Sacerdotibus omnibus recitentur.

Pro pace inter Principes Christianos, extirpatione Hæresum, Fidei propagatione, victoria contra Infideles, & Ecclesiastici Ordinis prosperitate, duæ Missæ legantur à quolibet Sacerdote.

Ita est.

Fr. Joannes de Soto, MinisterGeneralis, & Præses.
Fr. Franciscus à S. Severino, Commissarius Generalis.
Fr. Matthæus à Pareta, Ex-Minister Generalis immediatus.
Fr. Bernardus Monterde, Procurator Generalis Ordinis.
Fr. Joseph Maria ab Ebora, Commissarius Generalis Curiæ.
Fr. Fulvius à Bononia, Procurator Generalis Reformatorum.
Fr. Gildaldus Dulflos, Procurator Generalis Excalceatorum, & Recollectorum.
Fr. Joannes Lasso, Diffinitor Generalis.
Fr. Petrus Polo, Diffinitor Generalis.
Fr. Vincentius Zendra, Diffinitor Generalis.
Fr. Godefridus Stuve, Diffinitor Generalis.
Fr. Andreas Augustinus Bondet, Diffinitor Generalis.

Fr.

Fr. Albertus Coinac, Diffinitor Generalis.
Fr. Chrysogonus Castien, Diffinitor Generalis.
Fr. Romuldus VandenMale, Diffinitor Generalis.
Fr. Ferdinardus à S. Antonio, Diffinitor Generalis.
Fr. Andreas Cavallo, Diffinitor Generalis.
Fr. Matthæus de Atina, Diffinitor Generalis.
Fr. Joannes Maria de Augusta, Diffinitor Generalis.
Fr. Camillus de Brenó, Diffinitor Generalis.
Fr. Cherubinus de Capriata, Diffinitor Generalis.
Fr. Joannes Capistranus Jovenski, Diffinitor Generalis.
Fr. Franciscus Maria Spinelli, Diffinitor Generalis.
Fr. Carolus Maria de Novocomo, Diffinitor Generalis.
Fr. Gentilis à Nicæa, Diffinitor Generalis.
Fr. Crescentius Krisper, Diffinitor Generalis.
Fr. Joannes Jacobus de Vallico, Diffinitor Generalis Secretarius.

110

32

110

32